







# C. SALLUSTII CRISPI
# OPERA

CUM

FRAGMENTIS POTIORIBUS

ET

EPISTOLIS AD CAESAREM

DE ORDINANDA REPUBLICA.

---

RECENSUIT

ANIMADVERSIONES ET INTEGRAM

LECTIONIS IN EDITT.

ALDINA ET INGOLSTADIENSI

VARIETATEM, INDICEMQUE

ADIECIT

*CAR. HERRM. WEISE.*




---

LIPSIAE 1831.

APUD CAROLUM CNOBLOCH.

1584, contulissem, et, consultis diligenter notis, quae in hac antiqua et perquam solerter adornata editione adiectae sunt, Aldi, Cypriani a Popma, Carrionis, praecipuae varietatis lectionis Sallustianae compos factus essem, facile equidem vidi, et plura adhuc restare, quae necessario essent emendanda, et in longe pluribus, quam ab Gerlachio factum, codicum antiquarumque editionum vel lectionem vel verborum collocationem esse revocandam, quo simplex et genuina, vereque Romana et Sallustiana oratio restitueretur. Itaque et Putschianum exemplar in auxilium vocavi, anno 1602. apud Plantinum impressum; cuius quum textum diligenter cum meo contendissem, Ciacconiique Toletani notas, quae in eodem adiectae sunt, consuluissem, perspectum mihi est, earum in textu mutationum, quae nulla codicum auctoritate ab editoribus essent illatae, imprimis iam aetate Putschii, praemonente praeeunteque Ciacconio factum esse initium; quos dein secutus Gruterus, Cortio in plerisque mutationibus instituendis quasi lampadem praetulisse videtur. — Porro adhibui Rivii notas, Lipsiae a. 1539. editas, prae ceteris utiles, et eo studio, quo debent eiusmodi, ne ostentandae solummodo eruditionis in medium proferantur, solerter conscriptas; qui quatuor manuscripta, eaque vetustissima exemplaria, nec non ex impressis Florentinum, Parisiense, Venetum excussit, ipse Gymnici textu usus. — Deinde accessit maior quam voco Gryphiana, a. 1535. edita (prima prodierat a. 1529.), Aldinae aetatis, et ab hac oriunda, sed peculiaribus Gryphii opi-

bus codicibusque optimis, quibus ille, ut in plerisque, instructus erat, emendata atque perfecta, quam Cortius etiam prae ceteris laude extollit. Eam fateor me principem in plerisque ducem esse secutum, quam vidissem cum optimis Gerlachii, et cum Harlesii codicibus Tegernseeensi et Erlangensi amice conspirare. — Aldinarum edit. contuli alteram, quae prodiit Venetiis a. 1521., collatis codicibus emendatiorem priori, quae fluxerat ex duobus imprimis codicibus mptis, qui Parisiis ad Aldum fuerant allati. — Denique, quam editionem in nullo catalogo recensitam inveni, apprime conferendam duxi Ingolstadiensem quandam, quae prodiit a. 1607. ex typographeo Adami Sartorii, cum gratia et privilegio Caesareae Maiestatis, 8., aetate quidem paullo recentiorem, sed, si usum criticum spectes, praecipuae sine dubio inter reliquas dignitatis. Ille enim Ingolstadiensis editor, quisquis fuerit, non, ut plerique, suae aetatis optimam editionem ante oculos habuit, sed aut antiquissimam puto aliquam, quam nanctus fuerat, aut aliquem praeclarum codicem antiquum manu exaratum. Longe enim discrepat eius recensio ab iis, quae tum temporis floruerunt, editionibus, et insunt mendae, quae in nullis nisi in iis, quae primae prodierunt, aut in ipsis codicibus reperiuntur. — Quarum utriusque lectiones quia notatas habebam, separatim addendas censui, ratus non inutile fore si lectores ipsi integras talium editionum variantes perpendere possent.

His igitur instructus praecipuis fere cuiusque

aetatis recensionibus, ubicunque, flagitantibus codicum optimorum testimoniis, necessario aliquid in lectione mutandum, ab Gerlachianaque, quam pro fundamento habui, recedendum esse duxi, sedulo dedi operam, ea omnia ut diligenter in notis significarem, quo lectori liberum esset, utrum praeferendum duceret, eligere. Ex coniectura non nisi duobus tribusve locis aliquid a me est mutatum. — Scripturam retinui Gerlachianam, neque secutus sum Bipontinorum rationem, etsi plerique codices editionesque antiquae recentiorem verborum elocutionem referant. Sed antiquiores ut secus legisse credamus, et alii codices, et Grammaticorum certissima adigunt testimonia. — Praeterea historica et reliqua, quae difficiliora videbantur, paucis explicui. Huttenii addidi flores, aliis a memet auctos et historicis. Orationes et epistolas ex Historiarum libris primus aliquatenus explicui, ordine tamen eo servato, quo illae in Gerlachiana editione ordinatae fuerant. Ceterum ut bene correctus prodiret liber, et ab humanissimo redemptore et a memet omnis, quae oportuit, collocata est industria.

Scr. Lipsiae m. Maio 1831.

W.

# VITA SALLUSTII.

De Sallustio paucissima ex coaevis eius constant. Quae enim Crinitus in vita conscripsit, ex serioribus pleraque colleota sunt scriptoribus. Natus perhibetur Amiterni in agro Sabinorum a. U. 668, uti refert Eusebius, Consulibus C. Mario, L. Corn. Cinna. Tribunus plebis factus anno 702, motus dicitur senatu anno 704, censore Appio Claudio Pulcro, invidia maxime Pompeianorum, quippe libertatis defensor, Caesarisque partium. Sub Caesare deinde quaestor factus, exercitum ductasse fertur in Campania. Praetor fuit anno 708., secutusque Caesarem in Africam, uti scribit auctor belli Africani, finito bello Numidiae praefectus est. Inde reversus, repetundarum dicitur accusatus, absolutusque. Possedit villam Tibure et hortos ad Quirinalem. Mortuus est a. 719., postquam, ut Plinius maior refert, Ciceronis uxorem Terentiam duxerat, quae ipsi quoque superstes, Messalae deinde Corvino nupsisse et ad CIV aetatis annum vixisse perhibetur.

Atteium grammaticum in studiis ei affuisse scribit Suetonius in libro de illustribus Grammaticis cap. 10. Praeterea de vita eius quaedam, quae supra dedimus, commemorantur a Dione Cassio XL, 63. 73. XLII, 22. XLIII, 9. et Appiano de bell. Civ. II, 92. Ad

scribendum serius accessit, quemadmodum patet ex Catilinae prooemio. In scribendi genere autem Catonem secutus est, cuius quae exstant fragmenta ut cum Sallustio conferantur, apprime faciendum est iis, qui et omnino Romanae linguae et Sallustianae orationis ingenium accuratius pernoscere voluerint. In dictione peculiaria multa habet, velut usum particulae *sed* multis in locis minime adversativae, quae, ut statim in prooemio Catilinae, in vertendo plerumque plane est omittenda. Item plusquamperfectorum pro perfectis aut imperfectis, ut Cat. cap. 50. et saepius, porro indicativi pro coniunctivo, particularum *ceterum*, *etiam*, singulari ratione ab eo usurpatarum, et alia plura.

---

# C. CRISPI SALLUSTII
## DE CONIURATIONE
# CATILINAE
## HISTORIA.

I. Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis

Cap. I. *Omnis.* Hanc accusativi plur. formam primus hoc loco restituit Cyprianus a Popma, quum in antiquis editionibus plerumque vel *omnes* vel *omneis* legeretur, uti et Aldus habet. Citatur autem hic locus a Charisio grammatico his verbis: *Nam accusativus iuxta regulam manente i littera debet enunciari: hos et has agilis: ut est apud Sallustium: omnis homines.* Priscianusque libro septimo ait: *Nominum quae tam nominativum quam genitivum similem habent, eorum accusativus raro in es, frequenter in is solet terminari. Sallustius in Catilinario: omnis homines, qui sese student.*

*qui sese student praestare*, hoc est, qui id spectant, ut excellant; pronomine personali paullo insolentius addito. Ita Terentius Eunuchi prologo: *qui placere se studeat bonis.* Cf. Cic. Off. II, 20.

*animantibus.* Praetuli hanc lectionem, quam habet Aldina et quae eam sequuntur Gryphianae, codices aliquos secutae et Nonium, qui in v. Praestare *animantibus* legit, non *animalibus*, quod reliqui. Cf. Cic. Off. I, 28, 97.

*ne vitam silentio transigant.* Recentiores omnes, atque etiam Aldina, habent: *ne v. s. transeant.* Sed liber manuscriptus Rivii et Beroaldinus codex Tegernseeensisque habuerunt: *transigant*, idque recepit Gryphiana minor; quam nos h. l. sequi voluimus.

*animi imperio* etc. h. e. animus imperat (sc. corpori), corpus servit potius, quam imperat. Videtur obversatus esse auctori locus Aristotelis Politicor. Lib. I. c. 3. quo uberius a philosopho de animi imperio disseritur.

utimur; alterum nobis cum diis, alterum commune cum belluis est. Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium, opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara aeternaque habetur.

Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias, consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

II. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit), diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant. Etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbes atque nationes subigere, lubidinem dominandi caussam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare: tum vero periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse.

Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur.

Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti

---

*commune cum belluis est.* Hoc ordine haec in antiquissimis leguntur. Seriores scripsere: *cum belluis commune est.*

*Quo mihi rectius,* positum pro: *eo mihi rectius.*

*eget.* Putschius primus dedit *veget,* quod tamen Cortius iam reiecit, alii defendunt propter antecedens *indigens.*

Cap. II. *nam in terris* etc. h. e. primis temporibus, qui summum habebant imperium, reges vocabantur, non consules aut imperatores. — *diversi,* h. e. pro diversitate ingeniorum suorum.

*tum vero.* Praeplacet haec lectio, quam Nonius refert in dictione *periculum.* Alii: *tum demum.*

omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes, transegere: quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Horum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere et frui anima videtur, qui, aliquo negotio intentus, praeclari facinŏris aut artis bonae famam quaerit.

III. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit. Pulchrum est bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud absurdum est. Vel pace vel bello clarum fieri licet. Et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur, res gestas scribere: primum quod facta dictis exaequanda sunt: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit.

---

*sicuti peregrinantes, transegere.* Al. l. *transiere.* — Vocem *peregrinantes* habent Nonius et Donatus. Contra Priscianus legisse videtur: *sicuti pecudes.*

*Horum ego vitam.* Ita Priscianus hunc locum citat. Alii: *eorum ego vitam.* — Sensus est: perinde mihi videtur, an eiusmodi homines vivant, an mortui sint.

*Verum enimvero is demum* etc. Nonius haec in voce Facinus plurali numero citat: *verum enimvero ii demum mihi vivere atque anima frui videntur.* — Fuerunt, qui mallent: *verum enimvero is demum mihi vivere atque anima frui videntur,* ἀρχαϊκῶς *is* pro *ii* dicto.

*aliquo negotio intentus,* ablativo pro dativo posito, quasi *in aliquo neg. int.* Sic passim *assuescere, diffidere* et similia cum ablativo construuntur.

Cap. III. *aliud alii natura iter,* h. e. natura alii aliam viam ac rationem ostendit, qua sibi gloriam possit parere.

*Vel pace, vel bello.* Quidam haec codices referunt priore *vel* omissa; *pace vel bello;* uti et ed. Ingolst.

*sequatur.* Kritzius *sequitur* ex quibusdam codd.

*facta dictis exaequanda sunt.* Seriores inverso ordine: *sunt exaequanda.* Gellius autem Lib. IV. cap. 15 ita habet: *factis dicta exaequanda sunt.* Cf. Liv. VI, 20.

Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, a studio ad rempublicam latus sum; ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, largitio, avaritia vigebant; quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, quum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem quae ceteros, fama, atque invidia vexabat.

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi: non fuit consilium, socordia atque desidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis intentum, aetatem agere; sed, a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere: eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, paucis absolvam. Nam id facinus in primis ego memorabile existumo, sceleris

---

*a studio ad rempublicam.* Haec lectio est antiquarum editionum, quum recentiores omittant praepositionem *a.* Studium autem est literarum studium, inprimisque historiae, quemadmodum capite statim sequente dicit: *a quo incepto studioque* etc. et Iugurthae cap. IV.: *memet studium meum laudando extollere.*

*ab reliquorum.* Ita longe maior pars codicum. Sed Kritzius cum Bipontt. et Müllero *ab relicuis*, quemadmodum et Putschius et Ingolst. habet. Pro *eadem* Kritzius *eademque.*

Cap. IV. *servilibus officiis.* Antiquae editiones habent: *servilibusve officiis.* Sed possunt servilia officia separatim intelligi, ita ut non referantur ad proxime praecedentia, omissa copula. Nam agricultura et venatus numquam servilia veteribus sunt visa.

*a quo incepto studioque.* Alii: *a quo incepto studio.*

*res gestas populi Romani carptim.* Nonius *strictim* legit sub hac ipsa voce. Strictim autem est *breviter:* contra carptim, quasi carpendo, h. e. hic illic decerpendo, non omnem seriem rerum ab Romanis gestarum, sed singula bella maxime memorabilia narrando. — Post haec quae sequuntur, vetus codex sic habet: *atque ut quaeque* etc.

*Igitur de Cat. coniur.* Unus liber, referente Popma, habuit: *Igitur Catilinae coniurationem.*

atque periculi novitate. De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuius rei libet simulator ac dissimulator; alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis eloquentiae, sapientiae parum; vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Sullae lubido maxuma invaserat reipublicae capiundae: neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum; quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere, ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, ut paullatim immutata, ex pulcherruma et optima pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere at-

---

Cap. V. *iuventutem suam exercuit.* Pronomen *suam* antt. edd. omittunt. Recepit Popma ex codicibus et Nonio in v. Iuventus.

*cuius rei libet.* Ita legendum ex Nonio in v. Simulare. Pleraeque edd. habent: *cuiuslibet rei.*

*satis eloquentiae.* Ita tantum non omnes codices et editiones. Gellius tamen libro I, cap. 15. Probum scribit legisse *loquentiae*, quod recepit Kunhardtus.

*post dominationem L. Sullae.* Sulla mortuus est a. U. c. 676. Consul Cicero fuit a. 691., quo anno erupit coniuratio Catilinaria.

*supra repetere*, h. e. ea narrare, quae ante haec gesta sunt.

*ex pulcherrima et optima.* Voces *et optima* in aliis non leguntur. Restituit eas Popma, codicum, ut ait, vestigia secutus. Cf. cap. 10. fin.

que habuere [in] initio Troiani, qui, Aenea duce, profugi, sedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum, civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur; sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello tentare: pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri, metu perculsi, a periculis aberant. At Romani, domi militiaeque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam, parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicae consultabant; hi vel aetate, vel curae similitudine patres adpellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque convertit, immutato more, annua imperia binosque imperatores

---

Cap. VI. *in initio.* Sic perantiquus codex apud Popmam, Erlangensisque. Isidorus libro XX legit: *habitavere in initio.* Vulgata praepositionem *in* omittit. Cf. cap. 2 et 3.

*sedibus incertis.* Gryphiana inverso ordine: *incertis sedibus.*

*Sed postquam res eorum civibus.* Constans haec est librorum lectio. Sed Augustinus de Civitate Dei libro III *legibus* habet, non *civibus.*

*sicuti pleraque mortalium habentur*, h. e. sicut plerumque inter mortales fieri solet.

*metu perculsi, a periculis aberant.* Alii: *m. p., longe a periculis aberant.* — Sensus est: propter metum nolebant adesse Romanis.

*vel curae similitudine.* Editt. antiqq. *v. similitudine curae.*

*augendae reipublicae fuerat.* Antiquae editiones *causa* addunt post *reipublicae.* Similiter Iug. 88. *belli patrandi.* — *Convertit* i. e. q. conversum est, postquam reges Romani per abusum imperii facti sunt superbi dominandique cupidi.

sibi fecere. Eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere, magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni, quam mali, suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit: tanta cupido gloriae incesserat. Iam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbes, natura munitas, pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat

---

Cap. VII. *simul ac belli patiens erat.* Alii l. *simul laboris ac belli patiens erat.* — *per laborem usu.* Kritzius contra libros ex coniectura; *per laboris usum.*

*labos insolitus.* Ad Virg. Aen. I, 253. Servius testatur, Sallustium paene ubique usurpasse formam *labos.*

*sic se quisque hostem ferire.* Voces *se quisque* Popma omittit ex codicum auctoritate. Idem refert, in sequentibus quosdam legere: *ea esse divitias, ea bonam famam.* In Ciacconii libro aberant *sic se.* Cortius dedit: *sese quisque.* Cf. Iug. 84. Gryphiana: *sic se quisque*, uti nos cum Gerlachio dedimus. — *Sic* autem hoc loco i. e. q. hinc, ideo, itaque. Ad *se quisque* cf. Iug. 60. *neque alius in alio magis, quam in sese spem habere.* Sensus: *Ieder wollte zuerst* etc.

*ni ea res longius nos ab incepto.* Gerlachius omisit *nos*, quod plerique codd. habent.

Cap. VIII. *ea res cunctas.* Quaedam editiones antiquae le-

obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat, ingenium nemo sine corpore exercebat, optumus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat: ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura, valebat. Iurgia, discordias, [iras,] simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, praelio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco

---

gunt: *eaque res c.* — Post *lubidine* Kritzius cum Cortio expunxit vocem *magis.*

*verum aliquanto minores tamen.* Gryphiana habet: *verumtamen aliq. minores*, quod et erat in Merseburgensi codice, teste Rivio. Sed illud tuetur Augustinus de Civ. Dei libro XVIII.

*Ita eorum, qui ea fecere — ingenia.* Haec est antiquarum editionum lectio. Gerlachius prius *ea* omisit, alterum post *quantum* collocavit. Kritzius cum Cortio loco alterius legit *eam*, sc. virtutem; quemadmodum et habet Ingolst. editio.

*nunquam ea copia fuit*, sc. historicorum, s. ut ab historicis celebrarentur. — *negotiosus*, h. e. ipse cupidior erat patrandi magna facta, quam narrandi; munera publica obibat, foroque vel bello operam dabat.

Cap. IX. *iurgia, discordias, [iras], sim.* Editiones antiquissimae omittunt v. *iras.* Habet Putschius et Erl. cod.

*in suppliciis deorum*, h. e. in deorum cultu, caerimoniisque sacris. — Pro *in amicos* Kritzius cum Cortio: *in amicis*, quosdam codd. secutus.

cedere ausi erant: in pace vero, [quod] beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, et, accepta iniuria, ignoscere, quam persequi malebant.

X. Sed ubi labore atque iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant: saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare; magisque vultum, quam ingenium, bonum habere. Haec primo paullatim crescere, interdum vindicari: post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum est.

XI. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus

---

*pulsi loco cedere.* Kritzius comma posuit post *loco*, quod Gerl. post *pulsi* habet.

*in pace vero,* [*quod*] *beneficiis magis.* Coniunctio *quod* deest in antiquiss. editionibus, et recte abesse potest, supplerique ex antecedentibus: *quod in bello saepius vindicatum est.* — Post *beneficiis* alii omittunt *magis*, quemadmodum saepe omittitur in comparationibus.

Cap. X. *saevire fortuna.* In aliis antiquis est *fortuna saevire*; item paullo post: *artes bonas* et *promptum in lingua.*

*intolerandumque factum est.* In fine v. *est* habet cod. Erl. Alii omittunt.

*amicitias inimicitiasque.* Fronto haec recitat in verbo *aestimo*, omissa copula.

Cap. XI. *propius virtutem.* Ita Fronto in voce *propius* hunc locum citat. Libri omnes habent: *propius virtuti.* Cf. Priscian. XVIII, 23, 180. (T. II. p. 179. ed. Krehl.)

et ignavus aeque sibi exoptant: sed ille vera via nititur; huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem ductaverat in Asia, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amoena, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant: nedum illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus,

---

*bonis initiis*, hoc est, postquam rempublicam bene et feliciter ordinaverat, ipse quoque tyrannidem exorsus est; proscriptionem fecit, etc. — Dativos esse contendit Cortius. Quidam libri habent: *ex bonis initiis.*

*domum alius.* Antiqua Veneta habet: *alius domum alterius, agros cupere.*

*in civis.* Gerl. et Kritz. *in civibus.* Sed illud et plerique codices, et Gryphiana, recteque defendit Herzogius.

*quem ductaverat in Asia.* Gerlach. *quem in Asiam ductaverat*, accus. pro ablativo posito, ἀρχαϊκῶς. Edd. tamen antt. ablativum habent.

*nihil reliqui victis fecere*, i. e. nihil iis reliquere.

*quo sibi fidum faceret.* In Gryphiana recentiori est: *fidem.*

*sapientium animos fatigant.* Antiquae editiones quaedam hic habent *sapientum;* sed optimi quique codices in lectione *sapientium* consentiunt.

*nedum illi.* Gerl. *ne illi.* Pro *temperarent* quaedam antiquae l. *obtemperarent*, ut et codd. Teg. et Erl.

paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant; neque victis quidquam, praeter iniuriae licentiam, eripiebant. At hi contra, ignavissumi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores [hostibus] reliquerant: proinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: a privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse. Quibus mihi ludibrio videntur fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. Sed lubido stupri, ganeae, ceterique cultus non minor incesserat: viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi caussa terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non fa-

---

Cap. XII. *innocentia*, i. e. abstinentia, quae non patitur sese corrumpi pecunia accepta.

*pudorem, pudicitiam.* Popma ex codicibus testatur scribendum esse: *pudorem, amicitiam, pudicitiam.* — Post *pudicitiam* quidam manuscripti addunt *pro nihilo haberi.* — *Pudor* h. l. est reverentia, pietas erga deos hominesque.

*villas cognoveris.* Priscianus pro *cognoveris* legit *videas.*

*viri victores hostibus reliquerant.* In quibusdam desideratur *viri*, in aliis *hostibus*, quod tamen utrumque sensus flagitare videtur.

Cap. XIII. *maria constructa esse.* Fulvii Ursini liber habuit: *constrata.* Intelligendae autem videntur Cortio piscinae, ob magnitudinem maria appellatae, quales construxerit Lucullus et alii. Quemadmodum Horatius Od. II, 15, v. 2. ait: *undique latius extenta visentur Lucrino stagna lacu.* — Ego acceperim de *iactis in altum molibus* eiusdem Horatii, h. e. aedificiis in vero mari exstructis. Cf. cap. 39.

*ludibrio videntur.* Alii: *videntur ludibrio.* Item in sequentibus alii: *abuti per turpitudinem.* — *honeste habere*, i. e. bene iis uti.

*antecapere*, h. e. arte efficere.

nem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumtui deditus erat.

XIV. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, alea, bona patria laceraverat; quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: hi Catilinae proxumi familiaresque erant. Quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur.

*haud facile lubidinibus carebat*, i. e. non poterat pati, ut sibi opes deessent, quibus obtemperaret libidinibus. Inde autem maior quaestus, maiorque sumptus.

Cap. XIV. *In tanta.* Ita optimi codices et editiones antiquae. Alii addunt *itaque.* Kritzius *tamque* omisit. Codex Erlang. *Itaque in tanta et tam corr.*

*flagitiosorum atque facinorosorum.* Hanc lectionem Popma ex codicum consensu restituit. Aldus ex uno codice dederat: *flagitiorum atque facinorum*, quod reliqui sine idonea causa amplexi sunt.

*ventre. pene, alea.* Gryphiana maior habet *alea, manu, ventre, pene.* Alii vocem *alea* omittunt. Sed ea tamen apte respondet ganeoni, hoc loco posita, quo nos eam, Popmam secuti, reposuimus; quamquam, quod fatendum est, quatuor sic existant membra.

*bona patria laceraverat.* Pro *laceraverat*, quod est ex Ursini libro, alii, et cum Aldo Gryphiana etiam, habent: *dissipaverat.*

*quo flagitium aut facinus redimeret*, i. e. poena danda se liberaret supplicio, quod meruerat pati pro flagitio aut facinore commisso.

*par similisque ceteris.* Fronto in verbo Similis haec sine copula citavit.

tur. Nam uti cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari; postremo neque sumtui, neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio, fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

XV. Iam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae; alia huiuscemodi contra ius fasque. Postremo, captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vexabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas,

---

*quam quod cuiquam id compertum foret.* Popma e tribus codicibus dedit: *quam ex hoc, quod cuiquam* etc. — Sensus autem est: sed nemo certo compertum habuit, id in ipsa Catilinae domo factum esse.

Cap. XV. *sacerdote Vestae,* Fabia, Terentiae, uxoris Ciceronis, sorore, ut auctor est Asconius ad Cic. Cat. I.

*privignum adulta aetate.* In aliis est: *adultum aetate*, quod recepit Müllerus.

*infestus* passive potest accipi, ut sit i. q. infestatus. Cf. Iug. 89. *loca infesta serpentibus,* i. e. *infestata.*

*mentem excitam vexabat.* Alii et Gerlach. legunt *vastabat,* alii: *mentem exagitabant.* — *Vexabat* Popma dedit ex codicibus. — Ingolst. *fatigabat.*

*Igitur colos.* Ita hic locus a Probo grammatico citatur. Antiqui fere omnes post *color,* quod habent, addunt *eius.* Sequentia Nonius hoc modo citat: *modo citus, modo tardus.*

Cap. XVI. *signatores,* hoc est, falsarios, qui de testamentis aut contractibus falsis testimonium exhibebant. — *commodare* i. e. q. praebere.

pericula vilia habere; post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, maiora alia imperabat: si caussa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontes, sicuti sontes, circumvenire, iugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimundae reipublicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petundi magna spes: Senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo Consulibus, primo singulos adpellare: hortari alios, alios tentare: opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciae inerat. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius: praeterea ex

---

*gratuito*, i. e. etiam ubi nulla causa suberat.

*aes alienum per omnes terras*, i. e. quod probe norat, homines Romanos multos grande aes alienum per omnes imperii Romani provincias habere contractum. — *Sullani milites*, h. e. qui olim sub Sulla militaverant, belloque divites facti, postea sua prodegerant. Cf. Cic. Cat. II, 9, 20.

*Pompeius in extremis terris*, sc. contra Mithridatem, ab anno 688 ad 692.

*ipsi consulatum petundi magna spes.* Haec est lectio antiquorum librorum, pro qua alii et Gerlach. habent *petenti*. Sed *petundi* apte dictum pro *adipiscendi*, metonymiâ antecedentis pro consequente. — *senatus nihil intentus* pro *non int.*

*opportuna Catilinae.* In antiquiore Gryphiana post *Catilinae* additum est *videbantur;* in Aldina II. *erant.* Utrumque Popma in antiquissimo optimoque codice abfuisse scribit.

Cap. XVII. *Caesare et Figulo coss.* i. e. anno U. c. 690, anno ante Ciceronis consulatum.

*ubi satis explorata sunt*, h. e. praeparata. Cf. Iug. 90.

equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paullo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere; simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos se principem fore.

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina fuit; de qua, quam verissume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido Consulibus, P. Antronius et P. Sulla, designati consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant. Post paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis,

---

*domi nobiles. Erant.* In his et in praecedentibus valde variant libri, quorum alii habent: *qui domi et militiae nobiles erant. Praeterea;* alii: *qui domi nobiles erant.* Forsitan *erant* eiiciendum, ut unus sit contextus verborum usque ad v. *necessitudo.*

*se principem fore.* Ita antiquae. Alii: *principem se fore.*

Cap. XVIII. *de qua, quam verissime potero.* Supplendum *coniuratione.* Ita antiquae. Alii: *de quo*, quod et Kritzius.

*L. Tullo, M. Lepido Coss.* h. e. anno Urbis 688, quarto anno ante Ciceronis consulatum.

*interrogati* i. e. accusati apud praetorem. De ambitu erat Calpurnia lex. Cf. Cic. pro Muraena c. 32.

*petere consulatum.* Al. *consul. petere.*

*pecuniarum repetundarum.* Catilina enim praetor Africam provinciam obtinuerat; in qua cum avarius se gessisset, delatus est ab legatis Afrorum absens adhuc, et cum redisset, accusatus a Clodio de pecuniis repetundis. Nemini autem reo magistratum petere licebat.

*profiteri*, sc. nomen suum apud magistratum, tamquam petiturus. Mos enim erat, ut quicunque magistratum peterent, antea nomen suum inscribi curarent. Idque ad certos dies fieri debebat. Pro *nequiverit* Kritzius: *nequiverat.*

summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius circiter Nonas Decembres communicato consilio, parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum Consules interficere; ipsi fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non Consulibus modo, sed plerisque Senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare; eo die, post conditam urbem Romam, pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quaestor pro Praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum [inimicum] Cn. Pompeio cognoverat. Neque tamen Senatus provinciam invitus dederat: quippe foedum hominem a republica procul esse volebat: simul quia boni complures praesidium in eo putabant: et iam tum potentia Pompeii formidolosa erat. Sed is Piso in provinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt, qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientes, voluntate eius Pisonem adgressos: numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia sae-

---

*duas Hispanias*, h. e. Tarraconensem et Baeticam, seu citeriorem et ulteriorem.

*maturasset dare*, h. e. nimis cito dedisset.

Cap. XIX. *Quod eum infestum [inimicum]*. Vocem *inimicum* iam Aldus suspicatus est glossema esse ad *infestum*, quo vitii genere referti sunt libri. Itaque inclusi.

*boni complures.* Sic antiquae editt. Gerl. *quam plures.* — Boni autem h. l. sunt, qui reipublicae libertatique studebant. — Pompeius, victor e Mithridatico bello, tum in Syria versabatur.

*in provinciam.* Accusativus pro ablativo, ἀρχαϊκῶς. Sic Plautus Amphitruone: *mihi in mentem fuit*, pro: *in mente.* — Alii antiqui hic statim adiungunt *iter faciens*, in sequentibusque omittunt. Interfectus autem est Piso, quum iam erat in provincia, in eademque iter aliquod faciebat.

*Cn. Pompeii.* Haec cum sequentibus hexametrum faciunt.

va multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiori coniuratione satis dictum.

XX. Catilina, ubi eos, quos paullo ante memoravi, convenisse videt: tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium secessit, atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit.

„Ni virtus fidesque vestra spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent: neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere; simul quia vobis eadem, quae mihi, bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea diversi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, quum considero, quae conditio vitae futura sit, nisi nosmet ipsos vindicemus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum potentum ius atque ditionem concessit; semper illis reges, tetrarchae vectigales esse: populi, na-

---

*sed imperia saeva multa antea perpessos.* In quibusdam libris est: *sed et saepe imperia saeva antea perpessos.*

Cap. XX. *secessit* antiquiores libri et edd.; Gerl. et Kritz. *secedit.*

*Ni virtus fidesque* etc. Alii hic post *vestra* addunt *satis*, alii scribunt *foret.* Gryphiana maior simplicissime: *Nisi virtus atque fides vestra satis spectata mihi foret.*

*spes magna, dominatio.* Vulgata antiqua legit: *spes magna dominatioque.* Popma ex librorum consensu scribendum dicit: *spes magna dominationis.* Sed illud habet Aldus.

*per ignaviam* etc. i. e. neque ego ignavis atque vanis hominibus tantum fiderem, ut, certis honoribus abiectis, incerta assequi conarer. — Cortius mavult *ignava*, idque recepit Kritzius. Idem post *malaque* restituit *esse*, quod et est in Gryphiana.

*Ceterum mihi* etc. Popma ex quibusdam libris impressis scribi vult: *Cet. mihi in dies magis magisque.* — Pro *futura* Müllerus libros secutus, dedit: *futurae.*

*vindicemus.* Gerlachius *vindicamus* ex Cortio et Aldina.

*respublica in paucorum potentum.* Ita est in Gryphiana; reliqui: *potentium.* Alii hanc vocem plane omitt unt.

tiones stipendia pendere: ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquere repulsas, pericula, iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini fortissumi viri? Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro Deum atque hominum fidem, victoria in manu nobis est; viget aetas, animus valet: contra illis, annis atque divitiis, omnia consenuerunt; tantummodo incepto opus est: cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse! illos binas aut amplius domos continuare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia aedificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen summa libidine divitias vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum: mala res, spes multo asperior; denique, quid reliqui habemus, praeter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. Res,

---

*gratia*, i. e. *Einfluss*, *Ansehen*, *Macht*, quo sensu centies in epistolis Ciceronis occurrit.

*nobis reliquere repulsas* etc. Secutus sum Gerlachium. Antiqui habent: *nobis rel. pericula*, *repulsas*, *iud.*, *eg.* Alii: *nobis rel. pericula*, *nobis repulsas*, *iud.*, *eg.* Duo codices apud Popmam: *repulsas nobis reliquere*, *pericula*, *iudicia*, *egestatem*. Haud male.

*divitiis*, i. e. propter divitias, quae reddunt homines molles et effeminatos.

*Quum tabulas, signa, toreumata emunt.* Popma ab initio *Illi* addit. Idem in sequentibus habet: *vetera negligunt*, *nova diruunt*, *alia aedificant;* quod et Ingolstadiensis ed. In margine autem Gryphianae recentioris adiectum est: ex spectatae fidei codice legendum esse: *vetera diruunt*, *nova aedificant*. — Post *divitias* eadem in seqq. habet *suas*.

tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini: neque animus, neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una Consul agam; nisi forte me animus fallit, et vos servire magis, quam imperare, parati estis."

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla; tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulare plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret; quae praemia armis peterent: quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, aliaque omnia, quae bellum atque victorum lubido fert. Praeterea, esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauritania cum exercitu P. Sitium Nucerinum, consilii sui participes: petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem, et omnibus necessitudinibus circumventum: cum eo se Consulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos: suorum unumquemque nominans laudare: admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, complures periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt; cohortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quum ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem, vino per-

---

Cap. XXI. *tamen postulare.* Alii: *postulavere,* quemadmodum et Gryphiana et Aldina et Ingolst.

*quid ubique* h. e. quid ubicunque. Cf. cap. 27 et 37.

*locupletium.* Gryphiana antiquior: *locupletum.*

*aliaque omnia.* Gerl. sine copula.

*victorum libido.* Havercamp. et Gerl. *lubido victorum.*

*cum eo se consulem.* Alii codices: *cum eo consule se initium agendi belli facturum.* Alii: *agendi bellum facturum.*

*quibus ea praedae fuerat*, i. e. qui (sc. partium Sullae) ex ea victoria locupletes erant facti.

Cap. XXII. *populares sceleris sui adigeret.* Sequor in his Putschium. Non enim Cortii est coniectura *adigeret.* Gryphianus

mixtum, in pateris circumtulisse; inde, quum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum; atque eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem [antea] Censores senatu probri gratia amoverant. Huic homini non minor vanitas, quam audacia, inerat; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui quum minus gratus esset, quod inopia minus largiri poterat, repente glorians maria mon-

---

cum Aldo: *addiceret*. Ciacconii liber vetus habuit: *adiceret*, itemque Tegerns., quod est in Gerlachii editione.

*atque eo dictitare fecisse.* Referenda haec sunt ad principium capitis: *Fuere qui dicerent*, infinitivo historico, pro: *dictitarent*. Nam certe Catilina ipse haec non dictitavit. Alii legunt: *atque eo dictare fecisse*, alii, ut Ingolst. *atque eo dictam rem fecisse*, alii: *atque eo dictitant;* ex quibus paene colligas, scriptum fuisse olim *dictitarent*, nisi forte omnis haec vox omittenda. — Gryphiana antiqua habet: *atque eo dictare, quo inter se* etc. omisso *fecisse*. — Aldus probat *dictitare* ex Ursini libro.

*qui poenas dederant*, h. e. qui iussu consulis Ciceronis in carcere erant strangulati, Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Ceparius. Cf. cap. 55.

*pro magnitudine*, sc. criminis. *parum*, est nostrum: *zu wenig*, sc. quam ut, tantum commissum esse scelus, vere possim praedicare.

Cap. XXIII. *quem antea Censores.* Vox *antea* legitur in Gryphiana recentiori.

*amoverant.* Kritzius *moverant*, ob formulam in hac re solennem, et ex aliquot codicibus. Longe plerique tamen tuentur *amoverant*.

*quam audacia inerat.* Alii et Gerl. *inerat, quam audacia.*

*quod inopia* ex antiquis scripsi, quum alii habeant: *quia inopia*.

tesque polliceri coepit, et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret: postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curii caussa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit, sed, sublato auctore, de Catilinae coniuratione quae, quo modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere.

XXIV. Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tullius et C. Antonius; quod factum primo populares coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur; sed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, sua aut amicorum fide sumtam mutuam, Faesulas ad Manlium quemdam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur; mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumtus stupro corporis toleraverant; post, ubi aetas tantummodo quaestui, neque luxuriae, modum fecerat, aes alienum grande conflaverant: per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi, vel interficere.

---

*ni sibi.* Ita Gryphiana recentior. Antiquior et Ingolst. *nisi sibi.* Recentiores omittunt *sibi.*

*insolentiae Curii causa cognita.* Ita antiquior Gryphiana. Minor: *ex insolentia Curii*, uti et Aldus.

*quae, quo modo.* Gryph. maior cum Ald. *quae et quomodo.* Havercamp. *quae quoque modo.* Sed Gryphiana minor: *quae, quo modo*, quod et Putschius. — *sublato auctore*, h. e. non nominato.

*et quasi pollui consulatum credebat.* Alii: *credebant.* Illud antiquiores.

*invidia atque superbia.* Hic Gryphiana minor habet: *iniustitia atque superbia*, nulla tamen adiecta nota.

Cap. XXIV. *Populares*, i. e. eos, qui conscii erant, singulos coniuratos.

*Faesulas*, Hetruriae oppidum.

*toleraverant*, i. e. stupro corporis effecerant, ut possent sufficere sumptibus ingentibus, pecunia accepta.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit: literis Graecis atque Latinis docta: psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae: multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei semper cariora omnia, quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres: libidine sic accensa, ut saepius peteret viros, quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret: circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas Consuli in

---

Cap. XXV. *Haec mulier genere atque f.* Hunc locum citat Priscianus libro XVIII. triplici *atque*. In Gryphiana recentiori ita hae coniunctiones sequuntur: *atque* — *ac* — *et*, deinde *psallere, saltare*, sine copula, quam tamen habet Gryphiana maior. — Pro *saltare* quidam libri: *cantare*. — Ea autem Sempronia erat uxor D. Bruti, qui consul fuerat a. U. 677. Cf. cap. 40.

*semper cariora omnia.* Alii l.: *cariora semper omnia.*

*Libidine sic accensa.* Sic Aldus et Gryph. — Gerl. *lubido sic accensa.*

XXVI. *pactione provinciae*, sc. Macedoniae, quam sponte Cicero Antonio concessit.

campo fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam, quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri; Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere: ipse cum telo esse, item alios iubere: hortari, uti semper intenti paratique essent: dies noctesque festinare, vigilare, neque insomnia neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porciam Laecam: ibique multa de ignavia eorum questus, docet, „se praemisisse Manlium ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum obficere."

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator, constituêre ea nocte paullo post, cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculi Consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in

---

*quas consuli in campo fecerat.* Plerique codices omittunt verba: *in campo.* — Pro *consuli* alii habent: *consulibus.*

Cap. XXVII. *quem ubique.* V. *ubique* omittit Gryphiana minor.

*neque insomnia, neque l.* Ita Aldina et Gryphiana antiquior; recentior *insomnio;* alii *insomniis,* quod Gerl.

*intempesta nocte,* i. e. nocte media.

*se praemisisse Manlium.* Ita Gryph.

Cap. XXVIII. *ea nocte paullo post,* h. e. primo mane, primo diluculo post eam ipsam noctem, qua convocati fuerant.

*dolum, qui parabatur.* Gryphiana minor habet: *cui parabatur.*

Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea quum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque, exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis: domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum Consuli ius est.

XXX. Post paucos dies L. Saenius senator in Senatu literas recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat: in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI. Kalendas Novembres. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nunciabant; alii, conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi. Hi utri-

---

*dolore iniuriae* sc. Syllae, qui agros eis ademerat, suisque dederat, quos eo colonos miserat.

Cap. XXX. *allatas sibi dicebat.* Post haec *a. Q. Fabio* Popma addit ex codice quodam, eumque Fabium eundem putat esse eum Fabio Sanga eo qui capite XLI commemoratur.

*Manlium arma cepisse.* Et hic et in Cicerone al. l. *Multum,* ut in uno codice perantiquo invenit Popma, et Plutarchus habet.

*servile bellum*, h. e. servos excitari ad bellum faciendum, quemadmodum decem annis ante sub Spartaco per tres annos bellum servile gestum erat ab anno 681 ad 683.

*circumque ea loca.* Pronomen omnes fere habent codices; quod tamen expunxit Kritzius, Cortium secutus.

que ad urbem Imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Sed Praetores, Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent; ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta erat, [decrevere] praemium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus: Romae per totam urbem vigiliae haberentur, hisque minores magistratus praeessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus [pro] rei magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflictare sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa mo-

---

*Hi utrique ad urbem.* Ita Donatus hunc locum citat. Pedianus autem legit: *Ii utrique.* Alii pronomine omisso.

*decrevere praemium.* Haec nonnullorum codicum est lectio. Alii verbum *decrevere* hoc loco omiserunt. Al. ut Tegerus. leg. *praemia decrevere.*

Cap. XXXI. *quibus pro rei magnitudine* etc. Sic haec verba idoneum mihi videntur sensum fundere, qui nullus est, si legatur, quod plerique omnes: *reipublicae magnitudine*, vel, ut alii: *pro reipublicae magn.* Qui enim quaeso ob magnitudinem reipublicae poterat timor oriri mulierculis? Quod autem Kritzius ait: insolitum fuisse belli timorem ob ipsam reipubl. magnitudinum, quae effecerit, ut in longinquis terris bella gererentur, non videtur is perpendisse, decennio ante gestum esse bellum servile in ipsa Italia per tres annos, et piraticum paucis annis ante Italiam quoque ipsam multum afflixisse. — Simile vid. Iug. 100. Vox autem *reipublicae* saepius sic mutata, (Cf. Val. Max. IX. 8, 1. ubi libri habent: *maximae reipublicae*) saepe etiam inepte a librariis interposita deprehenditur, ut cap. 38, ubi in multis est: *senati specie reipublicae pro sua magnitudine.*

vebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. Postremo dissimulandi caussa et quasi sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Consul, sive praesentiam eius timens, seu ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, „Patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, itaque ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: neque existumarent, sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae.“ Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: „Quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.“

XXXII. Dein se ex curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factu credens, exercitum augere, ac, prius quam legiones scriberentur, [multo] antecapere, quae bello usui forent; nocte intempesta cum paucis in

---

*lege Plautia* s. Plotia, a P. Plautio, tribuno plebis, a. U. 665 lata, qua aqua et igni interdicebatur seditiosis civibus, seu iis, qui vim reipublicae inferrent. — *Interrogatus*, i. e. postulatus, accusatus, citatus.

*et quasi sui expurgandi.* Haec et Aldinae et recentioris est editionis Gryph. lectio, quum alii habeant *atque sui*, alii *et sui*, Gryphiana I. *aut sui*, quod Gerl.

*itaque ab adulescentia.* Alii *que* omissa. Aldina: *ita se.*

*neque existumarent.* Alii: *ne aestumarent.*

*inquilinus civis*, i. e. peregrinus, non Romae natus, advena, homo novus. Proprie enim inquilini sunt, qui in loco conducto, non proprio, habitant.

Cap. XXXII. *secum ipse volvens.* Sic antiquiores libri; iidem *optumum factu*, al. *opt. factum.*

*multo antecapere.* Alii *multo* omittunt; (habet minor Gryphiana ) alii legunt *multa*, al. *multa antec. loca.*

Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum.

XXXIII. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Marcium Regem mittit, cum mandatis huiuscemodi:

„Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit, more maiorum, lege uti, neque, amisso patrimonio, liberum corpus habere: tanta saevitia foeneratorum atque Praetoris fuit. Saepe maiores vestrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt: ac novissume memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solu-

---

*ad urbem accessurum.* Arrisit lectio, quam in Gryphiana minore reperi: *accursurum*; reliquae tamen omnes habent *accessurum.*

Cap. XXXIII. *plerique patria.* Sic antiqq., pro quo recentiores: *patriae*, sequente tamen post ablativo.

*lege uti*, i. e. certis pactionibus cum foeneratoribus componere lites, ita ut corpora tamen libera sint.

*foeneratorum*, h. e. eorum, quibus propter aes alienum contractum, foenus solvendum est; quibus debemus.

*saepe maiores vestrum, miseriti.* Gryphiana maior: *saepe maiores nostri, miserti:* minor, *saepe maiores vestrum misereri.* Sed *vestrum* reposuit Aldus ex Gellio XX. 5.

*argentum aere solutum est.* Ita Nonius in verbo *solvere.* Alii: *aere communi.* In Ciacconii libro erat: *argentum ex communi aere solutum est.* Ingolst. *arg. communi aere sol. est.* Nam de communi aerario plerique antiquiorum videntur accepisse; quamquam, quo tempore inde argentum pro populo solutum sit, non constet ex scriptoribus. Kunhardtus existimat, Romanos propter aeris alieni magnitudinem interdum pro argento aere usos esse, quemadmodum Francogalli olim in reipublicae discrimine chartacea moneta. Kritzius autem hoc explicare nititur loco Velleii II, 23, 2, quo scribit, Valerium Flaccum, consulem suffectum, aucto-

tum est. Saepe ipsa plebes, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum caussa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt; sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul amittit. Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris civibus: legis praesidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, restituatis; neve nobis eam necessitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus."

XXXIV. Ad haec Q. Marcius respondit: „Si quid ab Senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur. Ea mansuetudine atque misericordia Senatum Populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit." At Catilina ex itinere plerisque Consularibus, praeterea optumo cuique, litteras mittit: „Se, falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci; non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti respublica quieta foret, neve ex sua contentione seditio oriretur." Ab his longe diversas literas Q. Catulus in Senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat; earum exemplum infra scriptum est.

XXXV. „L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem

---

rem fuisse legis, qua *creditoribus quadrantem solvi* iusserit (anno U. 668.) Sestertius constitit tum quatuor assibus; as autem ex aere, sestertius ex argento factus erat. Cum igitur solvendus erat sestertius, seu pro sestertio, dabatur as, h. e. quarta pars debiti seu quadrans, eaque pars aere solvebatur.

*At nos non imp.* Gryphiana minor: *Ac nos non* etc.

*nobis eam necessitudinem.* Hoc ordine antiquae. Alii: *eam nobis*; alii *nobis* plane omittunt.

Cap. XXXV. *re cognita*, h. e. quae mihi factis tuis cognita est.

*commendationi meae.* Alii codices habent: *commendationi nostrae.* — Intelligenda autem est ipsa commendatio Aureliae Orestillae, quam hac epistola in fidem et tutelam Catuli commendat. — Sequentium sensus hic est: Quare omitto me defendere hic uberius coram te ob novas res; potius purgabo me ti-

in novo consilio non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam, me Dius fidius, licet veram cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod, fructu laboris industriaeque meae privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem; quum et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret: sed quod non dignos homines honore honestos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura quum scribere vellem, nunciatum est, mihi vim parari. Nunc Orestillam tibi commendo tuaeque fidei trado; eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto."

XXXVI. Sed ipse, paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem, antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis im-

---

bi, quantum satis, de culpa, quia mihi nullius rei conscius sum. — Quae purgatio statim sequitur, cum dicit, se causam miserorum suscepisse. — *fructu laboris*, i. e. consulatu. — *statum dignitatis*. Kritzius ex coniectura l. *gradum dignitatis*. — *Meis nominibus*, sc. contractum. — *quum et alienis*, i. e. quum, nisi mea sufficerent ad satisfaciendum creditoribus, possim uti bonis Orestillae, quae et pro alienis solvit, eorumque inopiam suis filiaeque opibus sublevavit.

*licet veram cognoscas*. Alii et Gerl. *veram licet cogn.*

*non quin aes alienum*. Alii: *non quia*. Alii omittunt *ex possessionibus*.

*honore honestos*. Hanc lectionem, quam et Gryphiana maior habet, ex Durandino reposuit Popma, allato Plauti loco, Capt. II, 2, 32. *Qui me honore honestiorem semper fecit*. Similiter et *infestus* passive usurpatur pro *infestatus*. Alii: *honestatos*, quod et Gerl. et Kr.

*mihi vim parari*. Al. *vim mihi par.*

*Haveto*. Ald. et Gryphiana utraque *aveto*, quod Popma, (qui tamen propter reliquas rationes *haveto* dedit) in omnibus Sallustii codicibus esse scribit. Inscriptiones enim hoc verbum omnes adspirant.

Cap. XXXVI. *In agro Arretino*. Pro hoc plerique antt. *Reatino*, qui tamen ager nimis foret longinquus.

*vicinitatem*. In Gryph. utraque est *civitatem*. Pro *exornat* autem aliqui: *exonerat*.

perii insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, Senatus Catilinam et Manlium hostes iudicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti Consules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi praesidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxume miserabile visum est: cui quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent; domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent; fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus Senati decretis, ex tanta multitudine, neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat; tanta vis morbi, atque uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat multis de caussis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulan-

---

*liceret sine fraude.* Gerl. *sine fraude liceret.* Sine fraude autem est: sine damno, impune.

*Ea tempestate mihi.* Pervetustus quidam Popmae liber *mihi* ante *visum est* collocatum habuit; deinde: *quum ab occasu ad ortum solis*, haud spernenda lectione.

*atque uti tabes.* Alii *atque* omittunt.

Cap. XXXVII. *aliena mens* h. e. alienata ab reipublicae commodo.

*qui conscii coniurationis fuerant*, pro: *erant*, aoristice. Ita est in plerisque antiquis. Cortius v. *fuerant* eiecit.

*odio suarum rerum*, h. e. quasi pertaesi suae conditionis.

*ea vero praeceps erat*, h. e. valde propensa erat ad res novas. In aliis fuit: *ierat*, quod et Gryphiana maior in margine praeferendum dicit, et habet Kritzius. Aldina: *erat*.

tia maxume praestabant; item alii per dedecora patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam, sicuti in sentinam, confluxerant. Deinde multi, memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnes malum publicum alebat. Quo minus mirandum est, homines egentis, malis moribus, maxuma spe, reipublicae iuxta ac sibi consuluisse. Praeterea, quorum, victoria Sullae, parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc, quicumque aliarum, atque Senati, partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi, malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat.

XXXVIII. Nam postquam, Cn. Pompeio et M. Crasso Consulibus, tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes, summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere, Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur plerique nobilitas, Senati [sub] specie, pro sua magnitudine. Namque, uti paucis verum

---

*aetatem agerent.* Tres libri: *vitam agerent.*

*malum publicum alebat*, h. e. si quando erumpebat communis calamitas, facilius rapinis vitam tolerabant.

*reipubl. iuxta ac sibi consuluisse*, h. e. male consuluisse reipublicae.

*haud sane alio animo*, h. e. haud minori cupiditate.

*multos post annos.* Respicit hic ad tempora Gracchorum, turbasque tribunicias, ut ex sequentibus apparet.

*in civitatem reverterat.* In aliis libris est: *redierat.*

Cap. XXXVIII. *Pompeio et Crasso Coss.* anno U. c. 684. — *summam potestatem*, i. e. tribunatum.

*nobilitas, senati sub specie, pro sua m.* Gerl. *senatus specie*, omissa *sub*, quae tamen vox in antiquis legitur. Sed Gryph. minor habet: *contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas senati, specie reipublicae pro sua magnitudine*, incassum ad-

absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti iura populi defenderent, pars, quo Senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant; neque illis modestia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est; plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceterosque iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. Quodsi primo praelio Catilina superior aut aequa manu discessisset; profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam

---

iecto verbo *reipublicae*, quod et Aldina habet, Ingolst. omittit. Nam sensus est: pleraque nobilitas contra nitebatur, quasi senatui consulentes, quum tamen nil nisi suam ipsorum magnitudinem spectarent.

*per illa tempora.* Sic omnes antiquiores, et Cortius. Sed Gerl. *post illa t.*

*iura populi defenderent.* Idem: *populi iura.*

*utrique victoriam.* In Gryphiana minore, nescio an typorum peccato, est: *utique victoriam.*

Cap. XXXIX. *Pompeius missus est*, h. e. ab anno U. c. 687.

*innoxii* h. e. nulli obnoxii, tuti. — *ceterosque* i. e. plebeios. — *iudiciis*, i. e. litibus, condemnationibusque et quocunque modo eos terrebant, ut illi, sc. plebeii, in magistratu, h. e. si quando plebeius munus publicum gerebat, placidiores sese gererent plebe gubernanda, neque ad seditionem eam excitare auderent. Kritzius pro *quo* ex coniectura dedit *qui*. — *ubi primum* i. e. q. simul atque.

*dubiis rebus novandis.* Sic libri tantum non omnes. Kritzius: *novandi*, quemadmodum et quidam codices. — *vetus certamen*, sc. patriciorum cum plebeiis.

*neque illis.* Catilinarii, si victoriam essent adepti, non diu ea gavisi essent, quia defessis iis potentiorum aliquis, v. c. Caesar, imperium statim extorsisset.

initio profecti sunt; in his [erat] A. Fulvius, Senatoris filius; quem, retractum ex itinere, parens necari iussit. Iisdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum civis, sed cuiusquemodi genus hominum, quod modo bello usui foret.

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli, existumans, publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea, quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatum notus erat atque eos noverat. Itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens eius casum, requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare Senatum, quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium mortem exspectare: „At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.“ Haec ubi dixit, Allobroges, in maxumam spem adducti, Umbrenum orare, ut sui misereretur: nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille

---

*in his erat A. Fulvius.* Praenomen restituit Popma ex libris. In Aldina enim et Gryph. maiore non legitur. *Erat* in Cortio et Gerl. deest.

*parens necari iussit.* In aliis libris est: *praecepit*, quod rarius, et passim ita Sallustio usurpatum.

*moribus aut fortunâ*, h. e. propter malos mores aut aes alienum.

*bello usui foret.* Gryph. minor habet: *usui bello foret;* sed illud maior. Cortius eiicit *bello.*

Cap. XL. *Allobroges* populus ad Rhodanum, Galliae Narbonensis.

*publice privatimque.* Et res eorum publica, et privati multi aere alieno laborabant.

*remedium mortem exspectare.* Hoc modo in utraque Gryphiana. Alii vetusti habent *spectare*, alii *sperare.* Quidam: *remedium morte.*

*quod non cupidissime.* Gryph. minor: *quin cupidissime.*

Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat; praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea quum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque, exercitus Manlii quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis: domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum Consuli ius est.

XXX. Post paucos dies L. Saenius, senator in Senatu literas recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat: in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI. Kalendas Novembres. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nunciabant; alii, conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi. Hi utri-

---

*dolore iniuriae* sc. Syllae, qui agros eis ademerat, suisque dederat, quos eo colonos miserat.

Cap. XXX. *allatas sibi dicebat.* Post haec *a. Q. Fabio* Popma addit ex codice quodam, eumque Fabium eundem putat esse eum Fabio Sanga eo qui capite XLI commemoratur.

*Manlium arma cepisse.* Et hic et in Cicerone al. l. *Malium*, ut in uno codice perantiquo invenit Popma, et Plutarchus habet.

*servile bellum*, h. e. servos excitari ad bellum faciendum, quemadmodum decem annis ante sub Spartaco per tres annos bellum servile gestum erat ab anno 681 ad 683.

*circumque ea loca.* Pronomen omnes fere habent codices; quod tamen expunxit Kritzius, Cortium secutus.

que ad urbem Imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Sed Praetores, Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent; ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta erat, [decrevere] praemium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus: Romae per totam urbem vigiliae haberentur, hisque minores magistratus praeessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus [pro] rei magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflictare sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa mo-

---

*Hi utrique ad urbem.* Ita Donatus hunc locum citat. Pedianus autem legit: *Ii utrique.* Alii pronomine omisso.

*decrevere praemium.* Haec nonnullorum codicum est lectio. Alii verbum *decrevere* hoc loco omiserunt. Al. ut Tegerus. leg. *praemia decrevere.*

Cap. XXXI. *quibus pro rei magnitudine* etc. Sic haec verba idoneum mihi videntur sensum fundere, qui nullus est, si legatur, quod plerique omnes: *reipublicae magnitudine*, vel, ut alii: *pro reipublicae magn.* Qui enim quaeso ob magnitudinem reipublicae poterat timor oriri mulierculis? Quod autem Kritzius ait: insolitum fuisse belli timorem ob ipsam reipubl. magnitudinum, quae effecerit, ut in longinquis terris bella gererentur, non videtur is perpendisse, decennio ante gestum esse bellum servile in ipsa Italia per tres annos, et piraticum paucis annis ante Italiam quoque ipsam multum afflixisse. — Simile vid. Iug. 100. Vox autem *reipublicae* saepius sic mutata, (Cf. Val. Max. IX. 8, 1. ubi libri habent: *maximae reipublicae*) saepe etiam inepte a librariis interposita deprehenditur, ut cap. 38, ubi in multis est: *senati specie reipublicae pro sua magnitudine.*

XLIV. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad cives perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant: Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotoniensem mittit; ut Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est:

„Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis." Ad hoc mandata verbis dat: „Quum ab Senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? In urbe parata esse, quae iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere."

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomptino Praetoribus imperat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines militares, sine tumultu praesidiis colloca-

---

Cap. XLIV. *iusiurandum*, sc. scriptum, quod ad *cives* suos, h. e. Allobroges in Galliam perferant, revera autem Ciceroni tradant. De his omnibus conferenda est oratio III. in Catilinam.

*Ceteri nihil suspicantes.* Quidam libri: *nihil doli suspicantes.*

*Qui sim, ex eo quem* etc. Cortius *quis sim*, contra plerosque codices et Ciceronis huius epistolae exemplar. Retinuit Kritzius. Uterque non viderunt, Lentulum, non Sallustium, scripsisse epistolam. In sequentibus quidam habent: *fac ut cogites, in qua cal. versaris; memineris* etc. *petas auxilium* etc. Alii: *quis sim — ut aux. p. ab omnib. nobilibus etiam inf.* Alii: *fac tu cog. — te esse virum — postulant — pet. aux. a. o. et ab inf.* — Ceterum Sallustius in hac epistola referenda paullulum discrepat ab Cicerone, qui eandem habet in orat. III.

Cap. XLV. *per legatos cuncta edoctus.* Memorabilis in Gryphiana minore est lectio: *per legatos cunctatoribus, L. Val.*

*permittit. Illi, homines m.* Gryphiana maior et Ingolst

tis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsident. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et simul utrimque clamor exortus est; Galli, cito cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens, velut hostibus, sese Praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios Consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. Nam laetabatur, [intelligens] coniuratione patefacta, civitatem periculis ereptam esse: porro autem anxius erat, [dubitans] in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur, confirmato animo, vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q. Coeparium quemdam Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt: Coeparius, paullo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Consul

---

*permittit illis homines militares.* Cortius *illi* pronomen omittit. Putschius et hoc et *permittit* expunxit. Dictio *homo militaris* simili sensu occurrit cap. 59, eodemque capite et verbum *permittit* recurrit, eo sensu, quo hic legitur in Gryphiana maiore: *permittit illis hom. m.* Denique et illud pro hac lectione facere videtur, quod Cicero in or. III. ait, se de praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera assidue usus fuerit, cum gladiis eo misisse. Sed tamen sequens periodus vix apte videtur ordiri posse a verbis: *Sine tumultu*, nullo praemisso pronomine *illi*, aut simili voce. Gryphiana minor legit: *permittit illis. Hom. mil*; quod languet. Nostrum habet Gerlach. cum Wassio.

*pontem obsident.* Gerl. cum Cortio: *obsidunt.*

Cap. XLVI. *laetabatur intelligens.* Verba uncis inclusa *intelligens* et *dubitans* commode abesse posse, quivis videt. Deleverat iam Putschius, apud quem adeo *nam laetabatur* non leguntur. Tuetur illa Kritzius; Gerlachius uncis inclusit.

*Q. Coeparium.* Gerl. omisit praenomen, quod tamen in antiquis est, et passim in simili contextu legitur; ut cap. 44: *P. Vulturcium quendam Crotoniensem.* In antiquis deest *quendam*, neque id in Gryph. minore legitur.

Lentulum, quod Praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo Senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit: Flaccum Praetorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre iubet.

XLVII. Volturcius, interrogatus de itinere, de literis, postremo quid aut qua de caussa consilii habuisset: primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit, docetque, se, paucis ante diebus a Gabinio et Coepario socium adscitum, nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Antronium, Servium Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur, ac Lentulum dissimulantem coarguunt, praeter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat: „ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea: se tertium esse, cui fatum foret Urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore.“ Igitur, perlectis literis, quum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum Aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius

---

*aedem Concordiae*, quae erat in Capitolio. — Verba *in Senatum* Cortius inclusit, et absunt ea in aliquot codicibus. Quivis facile videt, senatum h. l. esse locum, quo mox senatum advocaturus erat.

Cap. XLVII. *quid aut qua de causa consilii h.* h. e. quid consilii habuisset in suscipiendo itinere, aut qua de causa illud susceperit.

*fide publica*, h. e. impunitate promissa.

*ab incenso Capitolio.* Flagravit Capitolium anno Urb. 671. consulibus L. Corn. Scipione, C. Iun. Norbano; casu incensum, an de industria, incertum.

*in liberis custodiis*, h. e. apud privatos et sine catenis, quoniam nondum condemnati erant.

M. Crasso, Coeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio Senatori traduntur.

XLVIII. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo, cupida novarum rerum, bello nimis favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta, gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxume calamitosum putabat: quippe cui omnes copiae in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad Senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is, quum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a Consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium Senatum edocet: praeterea, „se missum a M. Crasso, qui Catilinae nunciaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent; eoque magis properaret ad Urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.“ Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia: alii, rem incredibilem rati;

---

Cap. XLVIII. *cupida novar. r., bello nimis.* Hoc ordine in antiquis. Putschius primus ordine inverso: *rerum novarum, nimis bello*, quem deinde reliqui secuti sunt. Gryphiana tamen minor iam: *nimis bello.* Erl. cod. *cupida nimis rer. nov. bello fav.*

*Catilinae consilia exsecrari.* In aliis edd. est: *exsecrare*, quod passim usurpatum est, ut Nonius 7, 45 ex Afranio affert: *Experiurabant, exsecrabant se ac suos.*

*alia belli facinora*, h. e. rapinas, caedes nobilium etc. — *praedae m.* h. e. praedam magis praebere plebi, quam detrimento esse.

*usu quotidiano*, h. e. victu quotidiano, quem quotidie sibi merebant, et ad quem quaerendum salva urbe opus erat: *cultu corporis* h. e. vestimentis, quae praeter victum quotidianum plerorumque omnes sunt copiae.

*ne eum Lentulus* etc. In his Cortius et Havercampius delevunt *eum* et copulas in sequentibus.

pars, tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda, quam exagitanda videbatur: plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant, indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur. Itaque, consulente Cicerone, frequens Senatus decernit, Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore, qui existumarent, indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, adpellato Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus, more suo, suscepto malorum patrocinio, rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

XLIX. Sed iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus, neque gratia, neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges aut alium indicem C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque graves inimicitias cum illo exercebant; Piso, oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum, propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum; Catulus, ex petitione Pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus discesserat. Res autem opportuna videbatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneri-

---

*esset mentitus.* Corte et Havercamp. *mentitus esset.*

*existumarent.* Gerl. *aestumarent.*

*ab Cicerone impositam.* Loco verbi *impositam* Gryphiana maior habet: *paratam*, quod praetulerim. Pronomen *illam* in quibusdam libris abest.

Cap. XLIX. *C. Piso.* In antiquis edd. est *Cn. Piso.*

*Nam uterque graves inimicitias cum illo exercebant.* Gerl. *cum illo grav. inim. exerc.*

*oppugnatus* sc. ab Caesare, qui Transpadanorum patronus erat. Hinc iratus Pisoni, quod olim iniustum supplicium de Transpadano sumserit, occasione iudicii illius usus est ad impugnandum eum.

*privatim egregia lib.;* quod is, sc. Caesar, multum aeris alieni contraxerat, quippe qui et privatis multis largitus fuerat, et in

bus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiundo, quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidii caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine, seu animi nobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Caesari gladio minitarentur.

L. Dum haec in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur: liberti et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, uti res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paullo ante frequens Senatus iudicaverat contra rempublicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore Consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur, et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sen-

---

universum populum maxima munera ediderat. Obaerati autem omnes ad res novandas inclinabant.

*animi nobilitate.* Pauciores codices habent: *an. mobilitate*, quod tamen ut improbemus, efficiunt et sequentia: *quo stud. — esset*, et verbum *impulsi*, quod magis nobilitati convenire videtur, quam mobilitati. Receperunt Herzogius et Kritzius, et habet Ingolst. — Pro *in remp.* Gryphiana maior: *in republica.*

Cap. L. *liberti et pauci ex cl.* In plerisque edd. antt. est *libertini.* — De re cf. Cic. orat. Cat. IV. c. 8.

*familiam*, i. e. servos.

*in custodiam traditi.* In Gryphiana minori est: *qui in custodiis traditi erant.*

*et praeterea de L. Cassio.* Plerique recentiores *et* omissa.

tentiam Tib. Neronis iturum se dixerat; quod de ea re, praesidiis additis, referendum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a Consule, huiuscemodi verba locutus est:

LI. „Omneis homines, Patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obficiunt; neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui reges aut qui populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerint; sed ea malo dicere, quae maiores nostri, contra lubidinem animi sui, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit: sed postquam, bello confecto,

---

*quod de ea re* etc. Vetus codex legit: *qui de ea re.* — Pro *praes. additis* Putschius habet: *praes. abditis*, nullo sensu; quod deinde aliae editiones, quae Putschium sequuntur, ut Elzeviriana, Minelliana etc. recepere. — Censuerat autem Nero, (ut ex hoc loco apparet): *de ea re*, h. e. de coniuratis qui deprehensi erant, porro esse referendum; ceterum praesidia esse per urbem collocanda. — Hoc omni loco plusquamperfecta, ut et aliis in locis, aoristice posita, et ad hanc ipsam consultationem referenda sunt, in qua Caesaris oratio est habita. In eo enim senatu primus interrogatus Silanus, supplicium sumendum dixit; deinde Nero, porro esse referendum, et praesidia addenda. Post, Caesar, bona eorum publicanda, ipsos in vinculis habendos per municipia. Cuius oratione Silanus permotus, in Neronis sententiam ivit. — Imo ad eum ipsum senatum referenda etiam, quae praecedunt: *Sed eos paullo — fecisse.*

Cap. LI. *Omneis homines.* Popma hic ex Charisio libr. I. de analogia, *omnes* scribendum ducit. Gryphiana maior et hic et ab initio libri habet *omneis.*

*providet*, ut saepe, pro *pervidet*, i. e. cognoscit.

*neque quisquam omnium*, i. e. neque quisquam inter omnes est, qui, cum lubidini obtemperaverit, usui etiam vero consuluerit.

*qui reges aut qui populi.* Ita Putschius et antiquae. Recentiores plerique: *atque populi.* Pro *qui reges* in antiquo codice Vaticano est: *quae reges atque.*

*bello Maced.*, coepto a. U. 583.

de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis, quam iniuriae caussa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum saepe Carthaginienses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quam quod in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc item vobis providendum est, Patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et caeterorum scelus, quam vestra dignitas, neve magis irae vestrae, quam famae consulatis. Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium adprobo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicae miserati sunt: quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere; rapi virgines, pueros: divelli liberos a parentum complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent: fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed per Deos immortalis! quo illa oratio pertinuit? An, uti vos infestos coniurationi faceret? Scilicet, quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est; neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere.

---

*quid se dignum foret, quam quod.* Sic habet Gryphiana maior. Eadem in seqq. *Hoc item*, non *idem.*

*si digna poena pro factis e. reperitur.* Gryphiana maior: *reperiretur.* Sed illud minor et Putschius.

*novum consilium*, sc. morte eos multandi. Non licebat enim, de cive Romano supplicium sumi, sed in exsilium eum mitti. Sententia autem Caesaris est: non potest ullo modo digna eorum scelere poena reperiri; ideo ex lege agendum, in custodiis ut teneantur, — *omnium ingenia*, sc. eorum qui excogitaturi sint poenas.

*quo illa oratio pertinuit?* h. e. quem in finem haec omnia ab illis dicta sunt?

*Non ita est* etc. i. e. non opus est ad hoc longa oratione, quia iam per se ipsi homines iniuriis, quas perpetiuntur, magnopere accenduntur; adeo ut oratione potius opus sit, qua efficiatur, quo minus eas aequo gravius ferant.

Sed aliis alia licentia est, Patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt. Qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic existumo, Patres conscripti, omnis cruciatus minores, quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere; et in hominibus impiis, sceleris eorum obliti, de poena disserunt, si ea paullo saevior fuerit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere; eos mores eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia eius mihi non crudelis, (quid enim in talis homines crudele fieri potest?) sed aliena a republica nostra videtur. Nam profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, quum praesertim diligentia clarissumi viri Consulis tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos immortalis, quamobrem in sententiam non addidisti, uti

---

*aliis alia licentia est.* Sic antiquae. Putschius primus dedit *alia aliis.* — Licentiam autem intellige se vindicandi.

*vitam agunt.* Sic in plerisque legitur antiquis. Recentiores: *v. habent*, propterea quod idem repetatur in sequentibus. Sed non ita anxii erant veteres in expendendis verbis.

*demissi*, oppositum in sequentibus: *in excelso.*

*neque studere*, h. e. non cupidius a partibus alicuius stare.

*postrema meminerunt*, h. e. poenae meminerunt, non sceleris.

*si ea paullo saevior fuerit.* Haec in editionibus antiquis. Cortius et alii: *severior fuit.* Ciacconii liber habuit: *paullo saeva.*

*quum praesertim diligentia.* Putschius ex vetusto, ut ait, codice dedit: *praesenti diligentia.* Antiquae omnes editt: *praesertim*, quod praetuli. — *ultra*, h. e. ultra mortem.

prius verberibus in eos animadverteretur? An, quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? Quid aut acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius; qui convenit, in minore negotio legem timere, quum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quicquid evenerit: ceterum vos, Patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis [initiis] orta sunt: sed ubi imperium ad ignaros cives aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare. Ea populus laetari et merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostrâ memoriâ, victor Sulla, quum Damasippum et alios huiusmodi, qui malo reipublicae creverant, iugu-

---

*Lex Porcia.* Ea vetabat civem feriri virgis, lataque erat a. U. 556.

*quid aut acerbum, aut nimis gr.* Sic antiqui. Sed Putschius et qui eum sequuntur: *quid autem acerbum*, quod et Gerlach.

*tempus, dies, fortuna*, i. e. efficient, ut vituperetur iudicium ab hominibus. Illi certo mortem meruere; sed vos considerare oportet, quale exemplum novo hoc iudicio posteris sitis daturi.

*omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt.* Vocem *initiis* recentiores eiecere. Iidem post *ignaros* substantivum *cives* delent. Utrumque in antiquis est, nec videtur apte abesse posse.

*ad ignaros* sc. causarum rationumque, quare olim ita statutum sit.

*ab dignis et idoneis*, h. e. iis qui poenas illas meruerant. — *ad indignos et non id.*, i. e. ad eiusmodi cives, qui tali poena non digni fuerunt.

*Damasippus*, ex Marianis crudelissimum se in huius victoria gesserat. Cf. Valer. Max. IX, 2, 3.

*malo reipubl.* h. e. in bellis civilibus.

lari iussit, quis non factum eius laudabat? Homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, post paullo ipsi trahebantur: neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor. Sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per Senati decretum, Consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, Patres conscripti, neque consilii neque audaciae umquam eguere: neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt: postremo quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur; imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvertebant in cives; de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit, et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere: tunc lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est. Hanc

---

*postremo vas aut vest.* Plerique recentiores ante *vas*, alterum *aut* addunt, quod in antiquis deest.

*ut is in proscriptorum.* Sic antiquae pronomen *is* collocatum habent. In recentioribus deest, in aliis ante *esset* legitur.

*Ita illi, quibus.* Corte et Havercampius omittunt *illi* pronomen. — *trahebantur* sc. in perniciem, ad supplicium. — *post paullo.* Gerl. *paullo post.*

*neque consilii neque audaciae.* Minor Gryphiana habet, *neque consilii neque audaciâ*, casus variatione saepius obvia. Sensus est: Maiores nostri, etsi neque consilio alicuius neque audacia eguere, tamen saepe aliorum instituta imitati sunt.

ergo caussam, Patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, et augeri exercitum Catilinae? Minume; sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent: neu quis de his postea ad senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existumare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum."

LII. Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo, alius alii, varie adsentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit. „Longe mihi alia mens est, Patres conscripti, quum res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores. Capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortalis, vos ego adpello, qui

---

*Hanc ergo causam.* Haec Gryphianae maioris est lectio. Minor et Geri. *Hanc ego causam.* Causa autem suppleri potest: ut caveatur, ne hoc exemplo aliquando innocentes etiam opprimantur; seu simpliciter: quia ita cautum est a maioribus.

Cap. LII. *Longe mihi alia.* Dupliciter se affectum praedicat Cato: aliter, cum res consideret; aliter, cum sententias nonnullorum. Hi nimirum, inquit, de poena dixere: res autem monet, ut caveamus magis, quam consultemus, quia non tam de factis, quam de futuris agitur, ne eveniant. Plane similiter Demosthenes Olynth. III, 1. *Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν εἰς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω.* Quem locum aperte imitatus est scriptor.

*ipse mecum.* Alii recentiores: *mecum ipse*, quod Ciceronianum magis est. Ceterum abundat.

*nihil fit reliqui victis.* Gryphiana minor: *nihil reliqui fit v.*

*Sed per deos immortales.* Conj. *sed* hoc loco consecutiva potius est, quam adversativa, ut sit i. q. *quamobrem*, *sedenim*, ut saepissime apud Sallustium.

semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam, fecistis: si ista, cuiuscumque modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis; expergiscimini aliquando et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis; libertas et anima vostra in dubio est. Saepenumero, Patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci: saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortalis ea caussa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma erat; opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit: sed, cuius haec cumque modi videntur, nostra, an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eo respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis scelestis

---

*ea causa advorsos habeo.* Gryph. minor: *ob eam causam.*

*Qui mihi atque animo meo* etc. h. e. quoniam ego mihi nunquam indulsi in aliquo delicto committendo.

*Sed ea tametsi* etc. sc. ea quae dicebam, quaeque querebar. — *opulentia neglegentiam tolerabat*, i. e. opulentia civitatis efficiebat, ut nihil noceret negligentia illa. — *cuius haec cunque modi videntur;* haec inprimis ad mores referenda, de quibus saepe Cato questus erat. Sensus: sive sobriam habeamus remp., sive luxuriosam.

*Hic mihi — nominat*, i. e. Sed forsitan dixerit quispiam, si minus severe puniantur coniurati, misericordiam hoc esse, non negligentiam vocandam.

*ne illi sanguinem* etc. Popma in libro perantiquo scriptum reperit: *caveant, ne illis sit periculum, dum sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis scelestis parcent, b. o. p. e.* — *Scelestis* etiam Gryph. maior habet. Eadem *Ne illi*, uti et minor et Putschius; alii ut Ingolst. *Ne illis.* Pro *scelestis* Putschius *sceleratis*, — Ante *ne* supple: at hoc veto:

parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in Urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert, me mihi atque vobis timere. Quare, quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paullulum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita [res] esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia, quam illis, est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium: animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia

---

*in hoc ordine*, h. e. in senatu.

*opes minores sunt.* Verbum subst. recentiores omittunt, aliae habent modo coniunctivo: *sint*, quod tamen vix potest ferri, quum tam brevi spatio idem praecedat.

*Quare quum de P. Lentulo.* Minor Gryphiana: *Quae de P. Lent.*

*feroces aderunt*, i. e. animum ferocem sument, et praesentes in vos dominabuntur.

*Si ita esset.* In codice Fabriciano non erat *res*, neque additum est in Aug. de civ. Dei libro V., ubi haec citantur.

virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere: Gallorum gentem, infestissumam nomini Romano, ad bellum accersiunt; dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc; quid intra moenia deprehensis hostibus faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines adulescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convertet. Scilicet res ipsa aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi, alius alium exspectantes, cunctamini. Videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt; ubi socordiae tete atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores;

---

*hic pecuniae*, sc. in senatu, in foro. — *vacuam rempublicam*, h. e. destitutam veris defensoribus.

*ad bellum accersiunt.* Ita optimi codices. Al. *accersunt.*

*Dux hostium cum exercitu.* Verba *cum exercitu* Gerlachius cum Cortio omisit. Habet Kritzius.

*cunctamini etiam nunc.* His addunt antiquae editt: *et dubitatis*, quod et Putschius habet, recentiores reiecere.

*armatos dimittatis*; in quibusdam, ut Ingolst. legitur: *armatos illos dimittatis.* Nam intelligendi sunt coniurati.

*Nae ista vobis.* Hic quidam retinent scripturam *ne*, quae in plerisque libris locisque veterum obtinet, ut in Plauto, Terentio. Nos recentiorem secuti sumus. Quidam libri: *Vereor, ne ista mansuetudo;* alii: *Sed cavete, ne ista.* Sed Donatus ad Andriam Terentii vulgatam habet. Gryph. maior: *Nae — convortetur.* Al. *vertet.* Vetus cod. Vatic. *convertat*, videlicet quia similiter hic Sallustium locutum existimarunt, atque paullo supra: *ne illi sanguinem nostrum largiantur.* — Tria autem sunt, quae hoc omni loco refutantur a Catone, primum: condonandum esse delictum; deinde: Romanos non timere; denique: diis immortalibus confisos nihil agere.

*Videlicet diis immort. confisi.* Vocem *videlicet*, quam etiam Cortius habet, Gerlachius reiecit.

*ubi socordiae tete.* Ita Gryph. minor. Al. *te.*

irati infestique sunt. Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit; atque ille egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit. Vos, de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si diis aut hominibus unquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adulescentiae; nisi iterum iam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario loquar? quibus si quicquam pensi umquam fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, Patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus: Catilina cum exercitu in faucibus urget: alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari neque consuli quicquam occulte potest. Quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum."

LIII. Postquam Cato adsedit, Consulares omnes

---

*Videlicet cetera vita.* Sic antiquae. Gerl. *Vid. vita cetera,* quemadmodum Putschius et Corte. Sensus: non est, quod dicatis, parcendum iis esse ideo quod cetera eorum vita melior fuerit. Omnibus enim flagitiis iam antea exercitati fuerunt.

*nisi iterum iam.* Gerl. cum Cortio omisit *iam*, quod antiquae omnes habent, quarum in quibusdam est: *nisi alterum iam*, ut Ingolstadiensi, quo modo etiam Rivius scribit habere codices.

*si quicquam pensi unquam.* Gerl. *s. q. unquam pensi.* Sed illud pleraeque inter antiquas. Sensus est: si alicuius rei unquam respectum habuissent; si aliquid praeter cupiditates suas magni fecissent.

*quoniam verba.* Antiquae addunt *mea.*

*in faucibus.* Sic antiqua vulgata. Gerlachius cum Cortio omittit praepositionem. Fauces subintelligi possunt Etruriae, Ciceroni etiam usurpatae, Or. Cat. I, 2.

*occulte potest.* Gerl. *potest occulte.*

itemque Senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad coelum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus habetur: Senati decretum fit, sicuti ille censuerat.

Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram, parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse: facundia Graecos, gloria belli Gallos Romanos ante fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse: eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est: rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat; ac, sicuti effoeta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, diversis moribus fueri viri duo, M. Cato et C. Caesar: quos, quoniam res obtulerat, silentio

---

Cap. LIII. *magnus atque clarus.* Putsch. et Gerl. inverso ordine: *clarus atque magnus.* Illud antiquiores. Cf. Iug. cap. 88. — *multa audienti.* Gryph. maior: *multaque aud.*

*Romanos ante fuisse.* Sic Gryphiana utraque. — Putschius et recentiores: *ante Rom. fuisse.* Gryph. minor uno verbo: *antefuisse.* Ante esse autem est praestare, excellere, superare. — *agitanti*, sc. animo; perpendenti. — In quibusdam est: *At mihi* pro *Ac m.*

*vitia sustentabat*, i. e. tolerabat, ita ut nihil eo minus firma staret.

*ac sicuti effeta parente.* Gryph. maior: *veluti* pro *sicuti*, et *parentum* pro *parente;* sed *parente* erat in Beroaldino et aliis bonis libris, et unice probat Rivius. Si legas *parentium*, quod recentioribus plerisque placet, sensus sit: ac tamquam si effeta esset respublica civium, qui procreare possent homines virtute magnos. Ego tamen Rivium sequor.

*multis tempestatibus.* Tempestas pro tempore saepe apud antiquos usurpata est. Multis igitur tempestatibus i. e. q. *longo tempore, diu*, quemadmodum Augustinus explicat, de Civ. D. libro V.

*Sed memoria mea.* Gryph. maior: *mea memoria;* in aliis: *mem. nostra.*

praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria; sed alia alii. Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus; huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum esset, sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse, quam videri, bonus malebat; ita, quo minus gloriam petebat, eo illum magis sequebatur.

LV. Postquam, uti dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit, Consul, optumum factum ratus, noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros, quae supplicium postulabat, parare iubet: ipse, dispositis praesidiis, Lentulum in carcerem deducit: ceteris idem fit per Praetores. Est locus in carcere, quod Tullianum adpellatur, ubi paullulum descenderis,

---

Cap. LIV. *miseris perfugium erat.* Putschius primus omisit verb. subst. *erat*, quod antiquae pleraeque editiones habent.

*eo illum magis sequebatur*, sc. gloria Catonem, ut Augustinus legit, qui libro V. de Civ. Dei hunc locum citat. Lectio utriusque Gryphianae et plerarumque antiquiorum est: *eo magis illam adsequebatur.* Putschius omittit *illam*. Cortius: *eo magis sequebatur*, quod et Gerlachius et Kritzius habent.

Cap. LV. *noctem antecapere* est, facere ut ante noctem aliquid fiat. — *triumviri*, sc. rerum capitalium, quibus carceris suppliciorumque sumendorum cura erat mandata.

*ceteris idem fit.* Recentiores: *idem fit ceteris*, ex Putschio.

*Tullianum*, a rege Servio Tullio sic nominatum.

*ubi paullulum descenderis.* Antiquae hic habent: *escenderis*;

ximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui magno exercitu, locis aequioribus, expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae, neque praesidii ullam spem; optumum factu ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, huiuscemodi orationem habuit.

LVIII. „Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere: timor animi auribus obficit. Sed ego vos, quo pauca monerem, ad-

---

*locis aequioribus, expeditos in fugam sequeretur.* Nimirum planities erat inter montes illos asperos, per quos Catilina iter fecerat in agrum Pistoriensem, et inter montes, quos obsessos tenebat Metellus Celer. Expedierat sese autem Catilina montibus istis asperis in fugam, h. e. ita ut libera ei iam esset fuga per planitiem; ibique eum persequebatur cum exercitu suo Antonius, neque iam procul aberat. Ego, quid in hac lectione, quam omnes antiquae, et Putschius etiam, tuentur, reprobari merito possit, non video. Eandem defendit Dahlius; praeterea *expeditos* legitur et in Prisciani codicibus libro 18. — Cortii lectio, quam recentiores sequuntur, et quae ex uno tantum codice fluxit, est: *expeditus in fuga,* (quamquam *in fuga* etiam plures habent.) Huius Cortianae lectionis sensus hic foret: Antonius sequebatur (sc. Catilinarios), quum fuga esset (sc. eorum), iter faciens locis aequioribus, ideoque expeditus.

*optimum factu.* Cortius, Gerl. Kritz. etc. *optimum factum.* Illud omnes antiquiores.

Cap. LVIII. *Compertum ego habeo.* Gryphiana maior omittit pronomen *ego.*

*verba virtutem non addere.* Ita antiquae. Sed Popma ex codicibus scribendum ait: *verba virtutem viris non addere,* Putschiusque habet: *verba viris virtutem n. a.* quod et Havercampius et qui eum sequuntur. Cf. orationem Marii, Iug. 85 in fine: *si timidis virtutem verba adderent.*

*timor animi auribus obficit:* die Furcht des Gemüths macht, dass alle Ermahnungen vergeblich sind.

vocavi; simul uti caussam mei consilii aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo in loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, quum praelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt; si metu cesserimus, eadem illa advorsa fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere: potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est; nemo, nisi victor, pace

---

*quo pauca monerem*, i. e. ut vos pauca m.

*quantam ipsi nobisque cladem.* Hic ordo in plerisque antiquis, pro quo Cortius et recc. *q. i. cladem nobisque* etc.

*si maxime animus ferat*, h. e., si vel maxime cupierimus. Sic Ovidius: *In nova fert animus* etc. h. e. cupio.

*municipia atque coloniae.* Alii inverso ordine: *col. a. munic.* — Item in seqq. alii: *pugnare pro potentia paucorum.*

*supervacaneum est*, h. e. illi, non simili necessitate impulsi, pro potentia paucorum pugnant.

*aggredimini.* Sic Gryph. utraque et Putschius, Cortiusque. At seriores *aggrediamini*, quod et Gerlachius.

*Licuit vobis.* Gryphianae: *nobis*, quod Gerl.

*alienas opes exspectare*. i. e. aliorum beneficentia vitam tolerare. — *opes* pro *opem*, ut et alibi. Cf. Iug. 14.

*haec relinquere*, i. e. ab his, sc. armis absistere, i. e. pacem habere.

bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quum arma, quis corpus tegitur, ab hoste averteris, ea vero dementia est. Semper in praelio iis est maxumum periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, et quum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra me hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. Quodsi virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam, virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis."

LIX. Haec ubi dixit, paullulum commoratus, signa canere iubet; atque instructos ordines in locum aequum deducit. Dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes, exercitum, pro loco atque copiis, instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montes et ab dextera rupe aspera, octo cohortes in fronte constituit: reliqua

---

*nemo nisi victor pace bellum mutavit*, h. e. veram pacem nancisci potest.

*ab hoste averteris.* Ita legunt antiquae. Sed iam Gryph. minor habet *ab hostibus*, quod deinceps omnes retinuere.

*iis est maximum periculum.* Gerl. *maximum est periculum*, omisso *iis*. — In codice Fabriciano deerant: *in praelio.*

*prohibent angustiae loci.* Igitur vallis illa seu planities angustior erat, ita ut acies eam Catilinae expleret, neque posset circumveniri ab Antonio. — Ceterum haec non ea mente dicta sunt ab Catilina, ut probaret quae proxime praecedunt, sed ut timorem suorum minueret.

*cavete ne.* Coni. *ne*, quam pleraeque omnes antiquae tuentur, recentiores omisere, nulla idonea causa.

Cap. LIX. *signa canere iubet*, h. e. praecepit ut signa, h. e. ii qui apud signa erant, canerent, sc. classicum. Signa erant vexilla, quae singuli manipuli, quorum triginta erant in legione, in fronte gerebant. Differunt ab aquila, quae nonnisi una erat in legione.

*ab dextera rupe aspera.* Planitiem fuisse auctor declarat inter montes, qui ab sinistra, et rupem, quae ab dextera erat. Proprie igitur dicendum fuisset: *inter sinistros montes et dexteram rupem asperam*, unde etiam quidam codices legunt: *et ab dextera rupem asperam.* Nam quod aliae antiquae, et Putschius, habent: *ru-*

signa in subsidiis artius collocat. Ab his centuriones omnis [lectos] et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare iubet: ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod praelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte; post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans adpellat, hortatur, rogat, ut meminerint, se contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius

---

*pes aspera*, ferri plane nequit. Al. l. *et ab dextris rupes aspera.* Kritzius, secutus Bipontinos, legit: *rupis aspera*, ut *aspera* sit accus. neutr. plur., pendeatque ab *inter*; *rupis* autem genitivus. Cf. Liv. XXVIII, 20, 3. Sed longe optimi codices habent *rupe aspera*, quemadmodum et Gryphiana utraque et Aldus; quod nihil impedit quominus explices per: *loca rupe aspera*, ut *aspera* item sit accusativo casu dictum, *rupe* autem significet, quare aspera fuerint loca in dextris sita. Similis locus occurrit in Fragmentis Historiarum lib. II. ex Prisciani libro V. et VI. *Inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam.*

*reliqua signa in subsidiis.* Gerl. *reliquarum signa in subsidio.* — *Signa* pro militibus.

*Ab his* coniunge cum *subducit.* Subducebat autem in primam aciem omnes centuriones et ex reliquis fortissimum quemque armatum. — *Lectos* non habet Putschius. — *Evocati* erant milites veterani, emeritis iam stipendiis. — Pro *optumum q. a.* Putschius habet: *optume q. a.*, quod si stabiliretur codd. auctoritate, praetulerim.

*ipse cum libertis et colonis.* Commemorantur capite 28. coloni Sullani, quos in Etruria Manlius sollicitaverit. Putschius tamen ex vetere Cuiacii codice legendum censet *calonibus*, idque in textum recepit.

*propter aquilam.* Cf. Cic. or. Cat. I, cap. 9.

Cap. LX. *omnibus rebus exploratis*, i. e. explorando seu per

tuba signum dat, cohortes paullatim incedere iubet: idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis praelium committi posset, maxumo clamore [cum] infestis signis utrinque concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere: omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius, ubi videt, Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi contendere; cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit: deinde utrimque ex lateribus [ceteros] adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae dignitatis suae, in confertissumos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto praelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque pugnando locum

---

exploratores cognitis. — V. *iubet* post *incedere* delet Gruterus. Tuentur tamen illud omnes libri. Asyndeton igitur est in his, periodique apodosin faciunt verba: *idem facit hostium exercitus.*

*ferentarii* levis armaturae erant milites, missilibus certantes, de quibus Vegetius I, 20, haec scribit: *Erant apud veteres inter pedites, qui dicebantur levis armaturae, fundatores et ferentarii, qui praecipue in cornibus locabantur, et a quibus pugnandi sumebatur exordium.* — Festus nomen a ferendo auxilio deducit. Sed potius ab instrumento aliquo videntur ita nuncupati esse.

*maximo cl. infestis signis utrinque concurrunt.* Haec ita habet Ingolstadiensis, Gryphiana utraque, nec non et Putschius, nisi quod illae *utrique*, quod Putschius omittit. Alii: *cum infestis signis.*

*cum expeditis*, i. e. levis armaturae militibus.

*contendere.* Al. *tendere*, quod primus dedit Putschius, inde omnes recentiores recepere.

*cohors praetoria* erat ea cohors, quae comitabatur ipsum praetorem, cuique eius corporis custodia erat deputata. — *in medios*, h. e. in centrum eorum, in mediam eorum aciem.

*utrimque ex lateribus ceteros aggreditur.* Vocem *ceteros*, quam antiqui omnes habent, omittit Gerl. cum Cortio.

Cap. LXI. *quem quisque pugnando locum vivus ceperat.* Vo-

[vivus] ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo diversius, sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in praelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est: ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat in praelio, aut graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui ex castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

cem *vivus* alii habent ante *pugnando*, ut Gerl., alii ante *locum*. Nos sequimur Gryphianam maiorem. Quia tamen vocis statio incerta est, uncis eam inclusimus.

*quos medios cohors*. Adiectivum *medios*, quod omnes habent antiquae, deest apud Cortium et Gerlachium, et etiam Herzogium. Intelligendi sunt illi, qui in media acie collocati fuerant, contra quos Petreius, ut legitur cap. 60., cohortem praetoriam induxerat.

*paullo diversius*. Putschius addit: '*alii alibi stantes*. Gryphiana minor: *paullo diversi*, *alii alibi stantes*. Omittuntur ea in Gryphiana maiore et Ingolstadiensi. Alii habent: *paullo diversius iacebant*. Verba: *alis al. st.* citantur ita ab Charisio l. 2, Prisciano lib. 12. et Diomede lib. 1. unde sequitur scripta fuisse in antiquis libris, et sane hic eodem iure possunt legi, quo praecedenti capite: *alios alibi resistentes;* nimirum *alis* antiquo modo pro *alius*, ut alid pro aliud. Lucretius III, 984: *Sic alid ex alio nunquam desistet oriri.* I, 263 *quando alid ex alio reficit natura.*

*iuxta pepercerant*, h. e. non pepercerant. Nam proprie est: aeque suae vitae pepercerant, atque vitae hostium. *Iuxta aestumo* est cap. II. et sic saepius in Iug.

*qui ex castris*. Ita Gryph. maior; aliae, ut et minor et Putschius: *e castris*. Recentiores: *de castris*, quod in multis est codicibus, et sane exquisitiore forma.

*processerant*. Videlicet hoc factum est postridie, aut diebus sequentibus. — *Laetitia, moeror* vehementiorem animi affectum significant, *luctus atque gaudia* mitiorem, ut Cic. Tusc. IV, 6 et 8. distinguit.

# C. CRISPI SALLUSTII
## DE
# BELLO IUGURTHINO
## HISTORIA.

I. Falso queritur de natura sua genus humanum, quod, imbecilla atque aevi brevis, forte potius, quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque maius aliud neque praestabilius invenias, magisque naturae industriam hominum, quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est: qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens

---

Cap. I. *Falso queritur.* Duo dicit queri genus humanum: primum, quod natura sua sit imbecilla et brevis aevi, deinde quod forte potius, quam virtute regatur; eaque duo statim refutantur in sequentibus. — Pro: *quod imbecilla* quaedam antiquae habent: *quod aetas imb.* — dein pro *forte* pleraeque editiones antiquae, ut Aldina, Gryphiana maior, Putschii, habent *sorte.* Sed iam Rivius testatur, manuscripta, quaecunque ipse viderit, habuisse *Forte potius*, idque et Gryphiana minor recepit, et cum Cortio Gerlachius. Fors autem i. e. q. fortuna. Cf. Virg. Aen. XII, 714: *Fors et virtus miscentur in unum.*

*regatur,* h. e. quod eventus plerique magis a fortuna pendeant, quam virtute hominum et prudentia aut fortitudine efficiantur.

*Nam contra reputando.* Ad Gryphianae minoris marginem legitur *cuncta* pro *contra* adscriptum. Quodsi *contra* retineatur, sensu tamen disiungendum sit a *reputando,* et ad hoc eiusmodi quid, quale *cuncta*, supplendum.

*invenias*, i. e. invenire possis. In quibusdam antiquis futurum tempus legitur: *invenies*, quemadmodum et infra occurrit.

*grassatur* i. e. q. ingreditur, tendit, ut Plaut. Rud. I, 4, 31: *Siccine hic cum uvida veste grassabimur?*

potensque et clarus est, neque fortuna eget, quippe quae probitatem, industriam, ceterasque artes bonas neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin, captus pravis cupidinibus, ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est, perniciosa libidine paullisper usus: ubi per socordiam vires, tempus, [aetas,] ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur; suam quique culpam auctores ad negotia transferunt. Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt; neque regerentur magis, quam regerent casus, et eo ma-

---

*fortuna eget.* Pleraeque antiquae edd. l. *fortunae*, genitivo casu. Sed in plerisque manuscriptis, ut Rivius etiam adnotat, ablativus obtinet. — *quippe quae.* Gerl. *quippe*, omisso *quae.* — Pro *artes bonas* aliae, atque etiam Aldina II. habent *bonas artes.* Illud Donatus ad Ter. Eun. II, 2. — Pro *ceterasque* recentiores: *aliasque.* — Ceterum *artes* hic sunt virtutes, bona ingenii.

*pessumdatus* i. e. prolapsus. Pessumdari enim praecipue dicuntur, quae in mare delapsa pereunt.

*perniciosa libidine paullisper usus.* Haec, sensu quae ante *ad inertiam* etc. collocanda erant, post sunt collocata, quo duo participia, quae ad unum idemque substantivum (animum) pertinerent, seiungerentur. Sine dubio enim periodi apodosis a verbis: *ubi per soc.* orditur.

*vires, tempus, aetas, ing.* Vox *aetas* legitur in plerisque antiquis; sed iam Gryph. minor eam sustulerat, item Putschius; neque Rivius habet. — Pro *defluxere,* quod Ald. Gryph. utraque et Putschius habent, in aliis est: *diffluxere.* — Pro *accusatur* in quibusdam antiquis est *accusatum*, quod et in margine Gryph. min. adnotatum.

*suam quique culpam.* In aliis est *quisque,* quod habet Gerl.; alii: *quippe*, ut Gryphiana minor. Eadem pro *auctores* habet *actores*, id quod Putschius recepit.

*ad negotia*, h. e. ad res externas, ad fortunam, cui eventus tribuuntur.

*aliena* sunt, quae non faciunt vere ad rem, quae nullam utilitatem afferunt, imo quae obsunt: ungehörige Dinge. — Pro *petunt* in aliis est: *appetunt.*

*neque regerentur magis* etc. Apertum est, ab his apodosin incipere. *Τῷ neque* respondet sequens *et eo magn.*, ut sit idem quod *et — et.* — Aldina cum Gryphianis habet: *neque regerentur magis casibus, quam regerent casus*, atque ita intelligendus locus est, etsi in plerisque manuscriptis non legatur *casibus.*

gnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est: ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia huiuscemodi omnia, brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum, ut initium, sic finis est: omniaque orta occidunt, et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, corporis dediti gaudiis, per luxum et ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque secordia torpescere sinunt:

---

*ubi pro mort.* Gerl. *uti.* Sed illud tuentur omnes antiquae. — *pro mortalibus gloria aeterni*, h. e. ex mortalibus seu loco mortalium immortales gloria. Nam haec respondent ad alteram illam querelam: quod natura hominum sit aevi brevis.

Cap. II. *genus hominum*, i. e. homo. — *sequuntur*, h. e. similem fortunam experiuntur, quoniam externa pereunt, sicut corpus; interna bona manent, sicut animus. Ea illustrantur statim sequentibus.

*alia huiuscemodi omnia.* Ita Aldina cum Gryphianis, commate post *huiuscemodi* posito, ut *omnia* cum *dilabuntur* magis coniungatur. Recentiores ex Putschio: *alia omnia huiuscem.*

*Postremo corporis* etc. h. e. bona corporis et bona fortunae finem aliquando habebunt, sicuti initium ceperunt. Quodcunque enim ortum est, illud etiam occidit. — In antiqua Veneta quam inspexi, erat *corpori.* Quod si scripsit Sallustius, mutationem fecit constructionis in eodem verbo, ut primum *esse* cum dativo construxerit, deinde genitivum posuerit, pendentem a substantivis *initium* et *finis.* — Sed etiam *corporis* per se potest intelligi, ut non regatur a v. *bonorum.*

*orta — et aucta*, i. e. omnia quae oriuntur, — et quae crescunt.

*agit atque habet*, i. e. movet, ducit, regit atque amplectitur et quasi possidet. Notum Aristippi: *ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι.*

*corporis dediti gaudiis.* Eo ordine in Veneta antiqua leguntur, impressa a. 1480. isque ordo praeferendus mihi visus est. Al. *dediti corp. g.*

*amplius*, i. e. magnificentius. — *incultu*, h. e. vitiis, in Schmutz und Traegheit.

quum praesertim tam multae variaeque artes sint animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempestate cupienda videntur: quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem is fuit, utique tuti aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen importunum est; quum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, incendia, aliaque hostilia portendant; frustra autem niti, neque aliud se fatigando, nisi odium, quaerere, extrema dementia est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exer-

---

*artes sint animi.* Al. *sint artes animi.* Utrumque in codicibus; sed illud cultius, hoc elegantius.

Cap. III. *cupienda.* Ita omnes antiquae. Gerl. cum Cortio *cupiunda.* In Ingolstadiensi est: *capienda*, metonymia sequentis pro antecedente: petenda.

*quibus per fraudem is fuit*, sc. honor aut magistratus; qui per fraudem magistratus et honores nacti sunt. Ita enim legendum duco, ex manuscriptis Rivii. Ceteri omnes: *qu. p. fr. ius fuit*, nullo sensu. Cf. cap. 4. ad fin: *furtim et per latrocinia ad honores nituntur.* V. *utique* in aliis deest. — *honesti* i. e. q. honorati.

*Nam vi quidem regere p.* i. e. bello civili firmare potentiam suam, tyrannidemque exercere in patriam (ad quod faciendum tamen is facile inducatur, qui, per fraudem ius nactus, non tutum aut eo magis honoratum se senserit) importunum est, quamquam postea delictum hoc compensare studeas bonis institutis. — *aut parentes*, i. e. subiectos, qui parent iussis. Cf. Iugurth. cap. 102.

*caedem, fugam, incendia.* Vocem *incendia*, quae in aliis deest, restituit Popma, et Ciacconius in libro suo legit.

*portendant.* Antecedens pro consequente: secum afferant.

*extrema dementia est.* Praetuli lectionem, quam adscriptam habet ad marginem Gryphiana minor ex codice vetusto, et in textu Ingolstadiensis. Reliquae, atque etiam Ald. habent: *extremae dementiae est*, pessimo omnium sono.

*decus atque libertatem suam gratificari*, i. e. honorem suum omnem et libertatem in illorum utilitatem impendere. Qui enim hoc faciunt, ii plerumque tutiores vivunt, quamquam inhonesta sit eorum vita, et saepe etiam ad perniciem ducat.

Cap. IV. *Ceterum ex aliis neg.* Ald. et Gryph. maior ha-

centur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cuius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica agere aetatem, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant; certe, quibus maxuma industria videtur, salutare plebem et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum, et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quae genera hominum in senatum pervenerint; profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia, iudicium animi mei mutavisse, maiusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reipublicae venturum. Nam saepe ego audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi ani-

---

bent: *Ceterum ex his negotiis*, Gr. minor: *ex iis n.* Sed *aliis* Ingolstadiensis, Putschius, Corte, Haverc., Gerl. — Significat autem *aliis* i. q. ceteris.

*ne per insolentiam* etc. i. e. ne quis mihi superbiae hoc det, quod studium meum laudem.

*agere aetatem.* Al. *aetatem agere.* — *certe* praegnanti sensu et ironice dictum est, quasi: his certe competat, hoc dicere. — *salutare pl.*, quemadmodum agendum erat iis, qui magistratum petebant. Cf. Horat. Ep. I. 6, 50. — *conviviis gratiam;* intelligenda sunt convivia plebi data, de quibus Cic. in orat. pro Murena. Pro *gratiam* Ald. et Gryph. maior: *gloriam.* Sed minor, Ingolstad., et Putschius: *gratiam.* Potest alterutrum aeque bene.

*magistratum adeptus sum.* Ita legunt Aldina et Gryphiana utraque cum Putschio. Ingolstadiensis tamen: *sim.* Recentiores: *magistratus adeptus sim.* — Adeptus autem est Sallustius quaesturam a. U. 698., quum status reipublicae admodum erat turbulentus. — *quales viri* — *nequiverint.* Videtur hic Catonem intelligere, qui, praeturam petens, repulsam tulerat.

*quae genera hominum* — *pervenerint*, nempe homines ignobiles, et qui non erant digni qui admitterentur in Senatum.

*Q. Maximum.* Intellige Q. Fabium maximum, imperatorem.

*maiorum imagines.* Imagines illae in tabulis ligneis, orbiculari figura, cera erant expressae, humerorum tenus, indicibus rerum gestarum et honorum additis. Imaginis autem ponendae ius habebant ii, quorum parentes aut maiores magistratum curulem, h. e. consulatum, praeturam aut aedilitatem, gessissent.

mum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere; sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra quis est omnium, his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria, cum maioribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia et honores nituntur; proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint; ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque. Nunc ad inceptum redeo.

V. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum, gessit; primum, quia magnum et atrox variâque victoriâ fuit; dein quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est, quae contentio divina et humana cuncta permiscuit, eoque vecor-

---

*quam virtus eorum f. a. gl. adaequaverit.* Ita habent Aldina, Gryph. utraque, Putschius et Ingolstadiensis, Cortius, Gerlachius; neque Rivius quidquam adnotat. Sed Ciacconius legit *adaequaverint*, et vocem *virtus* abundare dicit. Gryphiana minor in margine animadvertit, *eorum* abundare; et Veneta antiqua post *gloriam* habet: *maiorum*, quod si receperis, omnia plana sunt. Nam in nostra lectione *eorum* ambiguum est, positu ad virtutem, sensu sine dubio ad famam atque gloriam referendum.

*quis est omnium, his moribus*, h. e. ubi aliquem inter omnes inveneris, cum tales sint mores seculi, qui non etc. — Pro *quin divitiis* olim legebatur: *qui non de vitiis.*

*nobilitatem antevenire*, i. e. aemulari, vincere, aequare.

Cap. V. *variaque victoria*, i. e. quia nunc Romani, nunc Iugurthini in eo vicerunt.

*tunc primum superbiae nobilit.* etc., quippe in eo bello Marius primum et consulatum et imperium nactus est; is autem plebeius erat. Conferenda hic est oratio eius, quae legitur cap. 85. — Pro *dein quia t.* in quibusdam mptis est: *dehinc qu. tum;* et pro *obviam itum* in codd. Florentino, Veneto et aliis: *obviatum.*

*quae contentio — permiscuit.* Ortum enim inde est bellum inter Marium Syllamque, plebe illum, Syllam autem nobilitate sibi ducem asserente. — *divina et humana cuncta*, i. e. q. omnia.

diae processit, ut studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret. Sed priusquam huiuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis Romani, Italiae opes maxume adtriverat, Masinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui cognomen postea Africano ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat: ob quae, victis Carthaginiensibus et capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus, quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. Sed imperii vitaeque eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit; Iugurthamque, Mastanabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxui neque inertiae corrumpendum dedit; sed uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare: et quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen

---

*ut studiis civil.* etc. dass den bürgerlichen Reibungen nur der allgemeine Krieg und die Verwüstung Italiens ein Ende setzte.

*post magnitudinem nominis Romani*, h. e. ex illo tempore, ex quo magnum atque clarum nomen Romanum factum est, omnium maxime Hannibal attriverat opes Romanorum.

*in amicitiam rec. a P. Sc.* Recentiores: *in amicitia rec.* etc. Dein: *cui postea Afric. cogn.*

*capto Syphace.* Syphax Massaesylorum fuit rex, in occidentali Numidia, cuius Cirtha urbs erat. Eius regnum nactus est Masinissa; de eoque exposuit Livius Lib. XXIV, 48. XXVIII, 35. XXX, 12.

*Sed imperii* etc. Coni. *sed* non esse h. l. adversativam ex contextu patet. Ceterum sensus est: Masinissa regium imperium obtinuit usque ad mortem suam.

*Mastanabale.* Aldina: *Manastabale.* Gryphiana maior: *Manastabile.* Minor cum Aldina facit.

carus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire: plurimum facere et minimum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans Iugurthae virtutem regno suo gloriae fore: tamen, postquam hominem adulescentem, exacta sua aetate et parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium, avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem: praeterea opportunitas suaeque et liberorum aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit: ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa; ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat.

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt, neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus: quod erat Iugurtha manu promptus et adpetens gloriae militaris, statuit eum periculis obiectare et eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipsa, quum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans, vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit; multo labore multaque cura, praeterea mo-

---

Cap. VI. *Iugurthae virtutem.* Putschius primus: *virtutem Iugurthae.*

*suaeque et liberorum aetatis* recepi ex Gryphiana minore. Reliquae: *suae liberorumque.* Sed illud etiam Rivius ex vestutis probat.

Cap. VII. *periculis obiectare.* Ita quaedam antiquae; sed Ald. Gryph. etc. pleraeque: *obiectare periculis.*

*bello Numantino*, quod bellum per XIV. fere annos in Hispania gestum est. Deleta est Numantia anno U. 610.

*P. Scipionis.* Praenomen in omnibus antiquis legitur. Sed pro *Romanis* quidam libri: *Romanus.* — *Romanis imperator erat*, i. e. Romanis imperabat. Similiter cap. 24: *quem vos imperatorem Numidis posuistis.* Notum est, etiam substantiva posse, tamquam verba, casum regere. — Verbum *erat* omittit Gerl.

destissume parendo et saepe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et praelio strenuus erat, et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerumque adferre solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies amplecti: quippe cuius neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii solertia; quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures, novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis quam honesti: qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant; si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperio Numidiae potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit: donatum atque laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praetorium adduxit; ibique secreto monuit, uti potius publice, quam privatim, amicitiam populi R. coleret: neu quibus largiri insuesceret. Periculose a paucis emi, quod multorum esset. Si permanere vellet in suis arti-

---

*plerumque adferre solet.* Recentt. *adferre plerumque solet.*

*quippe cuius neque consilium.* Pronomen *cuius* deest in cod. apud Gerl. — Coniunctionem *et* inter *animi* et *ingenii* non legi in plerisque, testatur Rivius.

Cap. VIII. *novi atque nobiles.* Nonius in voce Tempestas habet *ignobiles*, memoriae lapsu sine dubio, quum sequentia necessario non novos solum, sed et nobiles requirant.

*imperio Numidiae.* Gerl. *imperii N.* Ald. Gryph. *regno N.*

*adduxit.* Ita utraque Gryphiana cum Aldina, et Putschius. Al. *abduxit.* — *publice*, h. e. magistratus principesque colendo, beneficiisque reipublicae praestandis. — *privatim*, i. e. singulos privatos ambiendo.

*neu quibus.* Hanc l. habent Aldina cum Gryphiana minore et Putschio. Sed Gryph. maior: *ne aliquibus*, et Ingolstad. *neu aliquibus.*

bus, ultro illi et gloriam et regnum venturum: sin properantius pergeret, pecuniam et ipsum praecipitem casurum.

IX. Sic locutus, cum literis eum, quas Micipsae redderet, dimisit. Earum sententia haec erat: „Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem certo scio tibi gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est: ut idem senatui et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor: en habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.“ Igitur rex, ubi ea, quae famâ acceperat, ex literis imperatoris ita esse cognovit, quum virtute tum gratia viri permotus, flexit animum suum, et Iugurtham beneficiis vincere adgressus est: statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo atque aetate confectus, quum sibi finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis, dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse.

X. „Parvulum ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existumans, non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, ob be-

---

*pecuniam et ipsum praecipitem casurum.* Constans haec est antiquarum editionum, Aldinae, Gryphianarum, Putschii, aliarum, lectio, pro qua recentiores ex Grutero: *suamet ipsum pecunia pr. c.* Verum genus nihil impedit, quin *casurum* etiam ad pecuniam referatur; ut apud Plautum Cas. III, 5. *occisurum ait*, de ancilla; et passim alibi.

Cap. IX. *certo scio tibi gaudio esse.* Ita Ald. et Gryph. utraque. Sed Putschius: *tibi certe scio g. e.*, hinc Cortius et Gerl. *tibi certo scio.*

*quum virtute tum gratia viri perm.* h. e. permotus et fortitudine meritisque Iugurthae, et quod videret, gratiam eius apud populares magnam esse. Gratia autem est favor, quo quis gaudet apud alios.

*dicitur huiuscemodi* etc. Haec ita Putschius ex mptis; antiquiores pleraeque: *huiuscemodi verba c. I. fertur habuisse.*

Cap. X. *Parvulum ego te, Iugurtha.* Ita h. l. citat Donatus ad Terentii Andriam I, 1. v. 8. ubi est: *ego postquam te emi a parvulo;* omninoque haec dimimutiva adamarunt Romani. Editt. antt.: *Parvum ego te, Iugurtha.* Gerl. Cortium secutus: *Parvum ego, Iugurtha, te.*

*quam liberis, si genuissem.* Ad haec habet Ciacconius: „Legendum existumo: *quam si genuissem,* expuncta otiosa voce *li-*

neficia carum fore. Neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna et egregia tua [facinora] omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti, tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti: in Hispania nomen familiae renovatum est: postremo, quod difficillumum inter mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitae facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas; neu malis alienos adiungere, quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio et fide parantur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite et observate talem hunc virum, imitamini

---

*beris,*" eoque permotus Putschius expunxit. Sed retineri et potest propter sensum, et debet, propter consensum librorum. — *si genuissem.* Nondum enim nati erant Adherbal et Hiempsal, quum acciperet Iugurtham in regnum. — *falsum me habuit*, i. e. fefellit.

*et egregia tua facinora.* Ita Gryphiana minor. Maior cum Aldo et Ingolst. *et egr. tua facta.* Reliqui cum Putschio omisere substantivum.

*renovatum est*, ex Aldo et Gryph. maiore Putschioque. Minor et Ingolst.: *renovasti.* — *inter mortales est.* Gerl. omittit v. *est.*

*finem vitae facit.* Ingolstad. *f. v. fecit.* — *per regni fidem*, h. e. per fidem, quam debes regno.

*armis cogere*, sc. ut tibi amici sint. — *fide parantur.* Ita Ald. et Gryph. maior. Sed minor et Putschius reliquique: *pariuntur.* Sunt qui legant: *obsequio et fide*, ut Popma in antiquo codice invenit, secundum illud Terentii: *obsequium amicos, veritas odium parit.*

*colite et observate.* Vocem *et* habet Aldina cum Gryph. maiore.

virtutem, et enitimini; ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse."

XI. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat, et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenerunt, ut inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Iugurthae (quia materno genere impar erat) despiciens, dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Deinde tamen, ut aetati concederet, fatigatus a fratre, vix in alteram partem transductus est. Ibi quum multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit: oportere quinquennii consulta et decreta omnia rescindi: nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit; nam ipsum illum his tribus proximis annis adoptione in regnum pervenisse. Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore, ira et metu anxius, moliri, parare, atque ea modo in animo habere, quibus per dolum Hiempsal caperetur. Quae ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox: statuit quovis modo inceptum perficere.

---

Minor et Putschius cum Ingolst. omittunt. Popma autem ex Prisciano legi postulat: *veneramini et observate*. Observare i. e. q. venerari. Cf. Cic. Ep. ad Div. V. 8: *Publius me, sicut alterum parentem, et observat et diligit.*

Cap. XI. *natura ferox, etiam antea.* Ita lego ex Ingolstadiensi, probante Rivio. Supplendum *atque* ante *etiam*, quod in praestantissimis inter antiquas coniunctim legitur, non *et iam ante*, ut habet Gerl.

*Deinde tamen — in alteram partem.* Gerl. *Dein t. — in partem alt.* In aliis est: *dehinc t.*

*adoptione.* Ita Ald. Gryph. Putsch. alii. Sed Gerl. ex Cort. *adoptatione.*

*atque ea modo in animo habere, quibus per dolum Hiempsal caperetur.* Recentiores: *atq. ea m. cum animo h., qu. Hiempsal per d. cap.* Nostrum et Putschius. Ceterum *moliri, parare,* per se sunt intelligenda, neque referenda ad *ea modo* etc. — *animus ferox,* sc. Iugurthae ipsius.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros, finesque imperii singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur; sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte eius domo utebatur, qui, proxumus lictor Iugurthae, carus acceptusque ei semper fuerat. Quem ille, casu ministrum oblatum, promissis onerat impellitque, uti tanquam suam domum visens eat, portarum clavis adulterinas paret; (nam verae ad Hiempsalem referebantur;) ceterum ubi res postularet, se ipsum cum magna venturum manu. Numida mandata brevi confecit; atque, uti doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis irrupere, diversi regem quaerere: dormientes alios, alios occursantes interficere: scrutari loca abdita; clausa effringere: strepitu et tumultu omnia miscere: quum interim Hiempsal reperitur occultans se in tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput eius, ut iussi erant, ad Iugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur. Adherbalem omnesque, qui sub Micipsae imperio fuerant, metus invadit. In duas partes discedunt Numidae: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas potest copias armat: urbes partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit: omni Numidiae imperare parat. At Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui

Cap. XII. *Sed Hiempsal in oppido Thirmida.* Gryphiana maior omittit *in* ante *oppido*. In quibusdam bonae notae codicibus legitur: *sed H. in oppidum Thirmida. Forte* etc., illa ut referantur ad *concessere* in praecedentibus.

*tamquam suam domum visens eat.* Gerl. *t. suam visens domum eat.* — *venturum manu.* Gerl. *manu venturum.* — *quum interim Hiempsal*, Gerl. *quum Hiempsal interim.* — *occultans se in tugurio.* Gerl. *occultans sese tugurio.* Nos in his Aldinam sumus secuti. Praep. *in* ante *tugurio* addit Servius in primum Aeneidos, item Donatus in Phormionem Terentii.

Cap. XIII. *Sub Micipsae imperio fuerant.* Hoc ordine in antiquis; pro quo Cortius *sub imperio Mic. f.* uti et habet Aldina II.

*At Adherbal.* Gerl. cum Cortio, omisso *At.*

senatum docerent de caede fratris et fortunis suis, tamen, fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex praelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha, patratis consiliis, postquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorsus iram eius usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis diebus cum argento et auro multo legatos Romam mittit, quis praecipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant: deinde novos acquirant: postremo, quemcumque possint, largiundo parare ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et ex praecepto regis hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere: tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret, quorum pars spe, alii praemio inducti, singulos ex Senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur, ubi legati satis confidunt, die constituto, Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

XIV. „Patres conscripti, Micipsa, pater meus, moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam, ceterum ius et imperium eius penes vos esse; simul eniterer, domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano; vos

---

*in provinciam*, h. e. Carthaginiensium terram, quae in provinciae formam ab Romanis redacta erat.

*postquam omni Numidia pot.* Gerl. *p. omnis Numidiae pot.*

*cum argento et auro multo.* Hoc ordine Ald. et Gryph. utraque. Sed Ingolstad. et Putschius: *cum auro argentoque multo.* — *quis praecipit.* Gerl. *quis praecepit.* — *uti primum*, Gerl. *primum uti.*

*quemcumque possint.* Gerl. cum Cortio: *quaecunque possint*, ut ad res et negotia referatur. Sed probe hi tertii ab amicis veteribus atque novis possunt seiungi. Denique quid aliud parare poterant legati Romae, quam fautores?

Cap. XIV. *tantummodo procurationem existumarem meam*, h. e. ut existumarem, me non verum esse dominum Numidiae, sed tantummodo procuratorem et quasi praetorem. — *ius et imp. eius.* Vocem *eius* in vetustis deesse animadvertit Rivius.

mihi cognatorum, vos adfinium loco ducerem: si ita fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae quum praecepta parentis mei agitarem; Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus, contempto imperio vestro, Masinissae me nepotem, etiam ab stirpe socium atque amicum populi Romani, regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam ob maiorum meorum beneficia, posse me a vobis auxilium petere; ac maxume, deberi mihi beneficia a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri, quam usui, esse. Ceteri reges aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiverunt; familia nostra cum populo

---

*vos adfinium loco.* Ita Aldina, Gryph. utraque et Ingolst. Sed Putschius: *vos in adfinium locum*, quod dein reliqui recepere.

*si ita fecissem.* Ita Ald. et Gryphiana minor. Reliquae et Gerl. *si ea fecissem.*

*agitarem*, h. e. effecta redderem; quum in eo essem, ut iis perficiendis operam darem.

*etiam ab stirpe.* Hic quoque coniunctim legendum *etiam*, non *et iam*, ut recentt. habent. Non solum erat Masinissae nepos Adherbal, sed etiam ab stirpe, h. e. per maiores suos, socius populi Romani.

*quibus non egerem; secundum* etc. Pro *secundum ea* al. leg. *sed ea si des. er.* Sensus mihi minime impeditus videtur. Maxime velle se ait, ut sibi deberentur beneficia a pop. Rom., sed ut iis non opus haberet; deinde (sc. velle), ut, si opus haberet iis, debitis uteretur. Quod quam differat a priore, nemo non videt. Nam non egere debitis sibi, plane aliud est, quam: egentem debitis illis uti. — Ceterum *uti* ante *debitis* non est *veluti*, sed *ut*. Citatur autem hic locus a Prisciano libro XIII.

*in manu fuit*, h. e. in potestate mea fuit; non a me pependit. Sic Cic. ep. famil. XIV, 2: *Verum haec non sunt in nostra manu*, et paullo infra in hac ipsa oratione: *nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est;* ubi al. l. *in vestra manu est.*

*prius oneri.* Ingolstadiensis: *potius oneri.*

*Ceteri reges* etc. Demonstrat in his, sibi longe maius competere ius in amicitiam populi Romani, quam reliquis regibus.

Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit; quo tempore magis fides eius, quam fortuna, petenda erat. Quorum progeniem vos, Patres conscripti, nolite pati [me, nepotem Masinissae] frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussae haberem praeter miserandam fortunam, quod, paullo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat maiestatis Romani populi, prohibere iniuriam, neque pati, cuiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego his finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus meus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, Patres conscripti; vos in mea iniuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuae exstinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur: hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, laeti pacem agitabamus: quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis. Ecce autem ex improviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit; post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus quam vim aut bellum exspectantem, in imperio vestro, sicuti

---

*magis fides eius, quam fortuna*, h. e. quo tempore qui cum Romanis faciebat, magis hoc spectare debebat, ut in posterum eorum auxilio fideque uteretur, quam ut fortunae eorum praesentis particeps esset.

*me, nepotem Masinissae.* Uncis haec inclusit Gerl., quamquam legantur in editionibus omnibus antiquis. Et sane melius ordinata forent ita: *quorum me progeniem, nepotem Mas., vos* etc.

*alienas opes exspecto.* Alienae opes sine dubio pro aliena ope dictae sunt. Cf. Cat. 58. Pro *exspecto* in quibusdam est *expeto*, quod ad marginem scriptum est Gryph. minoris; quae marginales eius lectiones plerumque ex optimis codicibus sunt depromptae.

*nihil minus, quam — exspectantem — extorrem, — inopem* etc.

videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis, effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno, essem. Ego sic existumabam, Patres conscripti, uti praedicantem audiveram patrem meum: qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere; ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis adesset vobis; nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, Patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit: tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est nobis coniunctum fore. Alter eorum necatus est, alter ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potissumum infelix accedam? Generis praesidia omnia exstincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; adfines, amicos, propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt, pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen,

---

Hi accusativi omnes pendent ab subsequente *effecit*. *Me* autem *effecit*, *ut* i. e. q. *effecit ut ego*. Nam coniungendum esse *effecit ut*, neque *ut* pro *ita ut* positum esse, perspicitur ex imperfecto *essem*. Quodsi enim esset additamentum, potius praesente: *sim* usus foret. Constructio autem Graeca est. Sic Chrysothemis in Soph. Electra v. 332: *Καίτοι τοσοῦτόν γ' οἶδα κἀμαυτὴν ὅτι Ἀλγῶ 'πὶ τοῖς παροῦσι*, et Dionys. Halic., *ἐνθυμουμένη τὸν ἀνθρώπινον βίον ὡς ἐπὶ μικρᾶς αἰωρεῖται ῥοπῆς*, et Terent. Eun. 4, 3, 15. *Ego illum nescio qui fuerit* etc.

*in manu vestra est*. Sic omnes antiquae, atque etiam Putschius. Gerl. *in vestra manu est*.

*ratus est nobis coniunctum fore*. Gerl. cum Cortio: *ratus coni. nobis fore*. Et sane solet verbum *ratus* plerumque ita usurpari a Sallustio, ut nude ponatur participium pro verbo finito. Sed tamen hoc loco *το est* additur ab omnibus antiquis.

*alter ipse ego*. Cort. Gerl. *alterius ipse ego*. — *Quid agam? aut quo*. Gerl. omisit p. *aut*.

*quem minime decuit*, sc. Iugurtham.

*ex necessariis advorsa facta sunt*, i. e. quae pro amicis inimica facta sunt; nisi mihi magna pars Numidarum, qui antea necessarii mei, h. e. amici fuerunt, nunc inimici facti essent.

si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, Patres conscripti, quibus, pro magnitudine imperii, ius et iniurias omnis curae esse decet. Nunc vero, exsul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos adpellem? Nationesne an reges? qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt. An quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit, Patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum; ne societates, ne foedera nova acciperemus: abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac diis volentibus magni et opulenti estis; omnia secunda et obedientia sunt; quo facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae, parum cognita, transvorsos agat; quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa, statuatis: fingere me verba et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem haec simulantem videam: et aliquando aut apud vos, aut apud Deos immortalis rerum humanarum cura oriatur; ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum gravis poenas reddat. Iam iam, frater animo meo carissume, quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est, tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum; non enim regnum, sed fugam, exsilium, egesta-

---

*si quid ex improviso mali accidisset.* Gerl. *si quid mali ex improv. acc.* Cortius v. *mali* omisit.

*magni et opulenti estis.* Gerl. cum Putschio et Cortio: *magni estis et opulenti.*

*ut ille, qui nunc.* Gerl. cum Cortio: *nae ille, qui — reddat*; Cortius: *reddet.* Me, ut retineam vulgatam lectionem, commovent verba: *omnibus malis excruciatus*, quae magis certo voto, quam exclamationi convenire videntur.

*unde minime decuit*, sc. ab Iugurtha cognato.

tem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus quid agam; tuasne iniurias persequar, ipse auxilii egens; an regno consulam, cuius vitae necisque potestas ex alienis opibus pendet. Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, ne vivere contemtus viderer, si, defessus malis, iniuriae concessissem. Nunc quoniam neque vivere lubet, neque mori licet, sine dedecore: Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani, subvenite mihi misero: ite obviam iniuriae; nolite pati, regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere."

XV. Postquam rex loquendi finem fecit, legati Iugurthae, largitione magis, quam caussa freti, paucis respondent: „Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum: Adherbalem, ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequisset. Iugurtham ab Senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent." Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, praeterea

---

*cuius vitae necisque potestas ex alienis opibus pendet.* Al. *ex opibus pendet alienis.* Gerl. *ex op. al. pend.* Sensus est: quum ex alienis opibus pendeat, utrum vivam an necer aut moriar.

*ne vivere cont. vid.* Corte et Gerl. *neu v. c. v.* Illud pleraeque antiquae. Atqui si legatur *neu*, videri possit velle concedere; quod tamen non ita est.

*Nunc quoniam neque v.* Ita Gryphiana minor cum Ingolstadiensi atque Putschio. Ald. et Gryph. maior omittit *quoniam*, et punctum ponit post *dedecore;* deinde habet: *P. C. oro vos per liberos atque par. v.* Fulvii Ursini liber, Aldo referente, habuit: *sine dedecore, per vos* etc. Ego, quum preces hae abruptiores viderentur nulla protasi, recipiendum duxi *quoniam*, ut ex duabus una periodus existeret. — *mihi misero.* Gerl. *misero mihi.*

*tabescere* i. e. q. minui, deterius fieri, vobis perire. — *per scelus* sc. Iugurthae. Nequaquam autem iungendum cum *familiae nostrae.* Sanguis f. n. est i. q. interitus eius.

Cap. XV. *finem loquendi fecit.* Putschius primus dedit: *loquendi finem fecit*, quem secuti sunt Cortius atque Gerl. — Iidem in seqq. *nequivisset.*

magna pars gratiâ depravata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem laudibus extollere; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius erat, subveniundum Adherbali et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant; sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in Senatu pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in Senatu potens, qui consul, C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha tametsi Romae in amicis habuerat, tamen accuratissime accepit: dando et pollicendo multa perfecit, uti famae, fidei, postremo omnibus suis

---

*magna pars gratia depravata,* h. e. multi, qui depravati erant gratia, i. e. qui pendebant a fautoribus Iugurthae. Cf. initium cap. 16. — *laudibus extollere.* Gerl. *extollere laudibus* ex Cortio.

*Aemilius Scaurus,* quem laudat Cicero pro Fonteio cap. 7., de Officiis I, 22., pro Murena 7., Aurel. Victor 76. — Quam bene autem Sallustius huius hominis imaginem, et quam paucis verbis expressit! — *famosam,* i. e. vulgi sermonibus agitatam. — *polluta licentia,* h. e. nimia detestabilisque impudentia.

Cap. XVI. *qui consul, C. Graccho* etc. Sic cum Aldina utraque Gryphiana, et Popma in antiquis libris scriptum invenit. Sed Putschius ex aliquibus: *quia consul,* item Cortius et Gerl. — Pro *victoriam* Gryphiana minor habet *vindictam;* item Putschius. Ingolstad.: *quia* et *victoriam.* — Consul fuit Opimius a. U. 632. cum Q. Fabio Maximo, in eoque Consulatu oppressit C. Gracchum, qui fratris mortem, decem annis ante interemti, vindicare conatus erat. Cf. Vellei. II, 7. Flor. III. 15.

*accuratissime accepit.* Putsch. Cort. Gerl. *recepit.* Pro *in amicis habuerat* alii, et Langius: *in inimicis hab.* — *dando et pollicendo.* Gerl. *d. et pollicitando.* — *uti famae, fidei.* Gerl. *uti famae, fide.*

rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgressus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia, fuit. In divisione, quae pars Numidiae Mauritaniam adtingit, agro virisque opulentior, Iugurthae traditur: illam alteram, specie quam usu potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur, Africae situm paucis exponere, et eas gentes, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, adtingere. Sed quae loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item solitudines, minus frequentata sunt, de iis haud facile compertum narraverim: cetera quam paucissumis absolvam.

In divisione orbis terrae plerique in parte tertia Africam posuere: pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa. Ea finis habet ab Occidente fretum nostri maris et Oceani, ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae adpellant. Mare saevum, importuosum; ager frugum fertilis, bonus pecori, arboribus infecundus; coelo, terra penuria

---

*omnibus suis rebus*, i. e. imo omni suae utilitati. — Forsitan haec interitum Opimii spectant, qui, teste Cicerone in orationibus pro Sextio et in Pisonem, in exilium eiectus, prope Dyrrhachium periit.

*Adherbal possedit.* Igitur Iugurtha occidentalem, Adherbal orientalem Numidiae partem est adeptus.

Cap. XVII. *paucis exponere*, pro: *ut paucis exponamus.* — *adtingere*, h. e. paucis describere. — *asperitatem.* Loca aspera sunt saxosa, montibus obsita. — *haud facile compertum*, i. e. haud facile certi aliquid.

*in parte tertia.* Ablativum habent Ald., Gryphianae, Putschius, Ingolst. et Harlesii codd. Tegerns. et Erlangensis. Gerl. *in partem tertiam* ex Cortio. — *sed Africam* i. e. q. *Africamque*, vel *Africam autem*.

*fretum nostri maris*, h. e. maris mediterranei. Fretum autem est Gaditanum, quod mediterraneum mare cum oceano coniungit.

*importuosum*, h. e. portus parum tutos habens, imprimis in iis regionibus, in quibus syrtes sunt. — In Ingolstadiensi est: *impetuosum*, dictio nullius.

*bonus pecori, arboribus infecundus.* Ita Ald. et Gryphiana maior. Reliquae: *arbori infec.*, quod puto mature invectum ab iis, qui artificiosius nostrum loqui vellent, atque ita corrigerent, propter praecedens *pecori*. — *coelo et terra pen. aquar.* Ita haec

aquarum. Genus hominum salubri corpore: velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere: nam morbus haud saepe quemquam superat. Ad hoc malefici generis plurima animalia.

Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint; quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est, tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terrae putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique; quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur: vagi, palantes, qua nox coegerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit; exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi [quisque] imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persae intra Oceanum magis; hique al-

---

Servius ad Aen. lib. I. citat, omissa *que* copula, quam libri addunt, et Gerl. habet. — *haud saepe quemquam.* Ingolst. *haud quemquam saepe*, quod placet.

*quae plerosque obtinet*, quae a plerisque fertur, quam plerique veram hucusque crediderunt.

*ex libris Punicis.* Sciendum est, haudquaquam expertes literarum fuisse Afros, quorum magna inter auctores nomina, ut Iubam, Magonem, Hannonem, Himilconem, Plinius citat in historia naturali. Sed Afri etiam fuerunt Callimachus et Apuleius et lumen alterum scenae Rom. superstes Terentius. — *regis Hiempsalis*, h. e. ab eo conscripti.

Cap. XVIII. *humi pabulum*, i. e. pabulum eorum erant olera, qualia ex terra proveniebant, incocta. — *qua nox coegerat.* Ita Ald. et utraque Gryphiana et Ingolstadiensis, quas est secutus Cortius. Sed Gerl. ex aliis codd.: *quas nox coegerat.* Alii: *quo nox c.*

*multis sibi quisque.* Pronomen *quisque* in Ald. et Gryphianis abest, nec in Ingolst. legitur, quae habet: *multis victi imperium pet.* Habet Putschius.

*intra Oceanum magis.* i. e. ad oceanum, extra columnas Herculis.

veos navium inversos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gaetulos secum miscuere; et quia saepe, tentantes agros, alia deinde atque alia loca petiverant, semet ipsi Numidas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblongo incurvis lateribus tecto, quasi navium carinae sunt. Medis autem et Armeniis accessere Libyes, (nam hi propius mare Africum agitabant; Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus) hique mature oppida habuere; nam, freto divisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis adpellantes. Sed res Persarum brevi adolevit: ac postea Numidae nomine, propter multitu-

---

*tentantes agros*, sc. an frugibus ferendis idonei essent. — *alia deinde atque alia*. Putschius cum Aldina: *alia, deinde alia*, quod et Cort. et Gerl. — Nimirum primum tentant agrum aliquem, deinde quia non placet, alium locum petunt, atque deinde alium.— Numidas, *Νομάδας*, a v. *νομεύειν*, pascere, dictos putabant Romani. Cf. Plin. V, 2. *Numidae vero nomades, a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domus, plaustris circumferentes.*

*oblongo incurvis lateribus tecto*, indem die Bedachung länglich ist, und gekrümmte Seiten hat. Ita enim lego, ex Ingolstadiensi, et codice Tegernseeensi. Gryphiana maior: *oblonga incurvis lateribus tecta*, nulla interpunctione interiecta, sensu paene eodem, sed minus bene latine. Idem minor, et Putschius, qui tamen comma ponit post *oblonga*. — Minime autem lateres sunt intelligendi.

*mapalia*, casae agrestes. Dicta etiam sunt *magalia*, ut Virg. Aen. IV, 239. sed idem *mapalia* habet Georg. III, 339. cf. Martial. Epigr. X, 20. Apud nostrum redeunt cap. 46.

*quasi navium carinae sunt* i. e. q. similia sunt navium carinis.

*Medis autem et Armeniis* etc. Hic Ingolstadiensis habet: *Medi autem et Armenii ad Libyes accessere*, quod longe rectius mihi videtur. Sed reliquae omnes in recepta consentiunt. Ciacconii liber: *Medi autem et Armenii accessere Libyes.*

*sub sole m., haud pr. ab ardoribus*, h. e. sub zona torrida, ubi sol nimius. — *hique mature*, sc. Medi et Armenii, Libybus permixti.

*freto divisi*, h. e. quia non nisi freto, sc. Gaditano ab Hispanis divisi erant. — *mutare res inter se*, h. e. mercaturam exercere.

*ac postea Numidae nomine*. Putschius: *ac p. nomo Numidae.*

dinem a parentibus digressi, possidere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Dein utrique, alteris freti, finitumos armis aut metu sub imperium suum coegere, nomen gloriamque sibi addidere; magis hi, qui ad nostrum mare processerant, quia Libyes, quam Gaetuli, minus bellicosi. Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

XIX. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere; haeque, brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere; nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet.

Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari prima Cyrene est, colonia

---

Cortius: *ac postea nomine Numidae*, quod et Gerl. — Ald. et Gryphiana maior: *ac p. Numidiae nomine*. Minor: *Numidae nomine*, quam secutus sum. In Ingolstadiensi vox *nomine* plane exulat. Sed ea tamen ideo necessaria videtur, quia brevi ante iidem Persae vocati sunt.

*possidere ea loca*, infin. histor. Ita Gryph. maior et Cortius, item Gerl. Reliquae cum Aldina: *possedere*.

*quae proxume Carthag.* Notandum Frontonem legere *proxima* sub hac ipsa voce.

*qui ad nostrum mare processerant*, h. e. qui proxime Carthaginem habebant.

*quia Libyes quam Gaetuli minus bellicosi.* Nimirum cum Gaetulia rem habuerunt illi ad Oceanum, cum Libybus hi, qui ad mare mediterraneum, propius Carthaginem. Quia autem Libyes minus erant bellicosi, ideo hi facilius sibi gloriam parabant.

*Africae pars inferior*, h. e. ad oram maritimam sita, ad mare mediterraneum.

Cap. XIX. *et aliis novarum rerum avidis*. Admisi lectionem Ald. et Putschii, propter *et* copulam additam, quemadmodum omnes recentiores habent. Sed Gryphianae et Ingolstadiensis legunt: *et alii n. r. avidi*. Non autem sunt duo ablativi absoluti, quemadmodum accepit Rivius, sed ad *aliis* supplendum: sollicitatis: indem sie das Volk, und andere, die zu Neuerungen geneigt waren, dazu aufmunterten.

*in ora maritima*. Gerl. *ora in mar.*

*secundo mari*, i. e. ad occidentem versus, quoniam mediterraneum mare ab oriente ad occidentem fluit. — Ingolst. in seqq.: *prima civitas Cyrene est.*

Theraeon; ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis: dein arae Philaenon, quem locum Aegyptum versus finem imperii habuere Carthaginienses: post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauritaniam Numidae tenent: proxume Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare: post eos Aethiopas esse: dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat: Gaetulorum magna pars et Numidae usque ad flumen Mulucham sub Iugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen, cetera ignarus populi Romani; itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus. De Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, diviso regno, legati Africa discessere, et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt; certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse;

---

*colonia Theraeon,* graece pro Theraeorum. Al. *Thereon,* antiqua vitiosaque scriptura, ut paullo post: *Philenon.* Thera insula erat una ex Cycladibus, olim Calliste dicta, de qua Plin. H. N. II, 89. Ex ea Battus profectus, oraculi monitu, condidit Cyrenen; de qua re agit Pindarus Pyth. IV. et V.

*dein arae Philaenon,* graece pro *Philaenorum.* Ita autem scribendum est, non *Philenon,* quemadmodum hic omnes habent, quum tamen capite 79, ubi eorundem Philaenorum historia enarratur, omnes recte *Philaenos* scribant. Strabo: *φιλαίνων βωμοί,* quasi a *φιλέω* et *αἶνος*, laudis studiosi. — Ceterum Putschius: *deinde Philenon arae.* Corte: *dein Philenon arae*, quod Gerl. Nostrum Gryphianae.

*fines Carthaginiensium, quos novissime habuerant* sc. Carthaginienses, antequam a Romanis subigerentur. *novissime* h. e. extremis imperii sui temporibus.

Cap. XX. *diviso regno* sc. Numidiae inter Iugurtham et Adherbalem.

*legati Africa discessere.* Ita antiqui et Cortius. Gerlachius cum Putschio et Gryph. minore: *decessere.*

*contra timorem animi*, i. e. contra, atque timuerat.

*quod ex amicis apud N. acceperat:* quemadmodum auctor narravit capite VIII. — *paullo ante muneribus;* ut cap. XIII. expositum est.

simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviso fines eius cum magna manu invadit; multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit, deinde cum omni multitudine in regnum suum convertit; existumans, Adherbalem dolore permotum iniurias suas manu vindicaturum, eamque rem belli caussam fore. At ille, quod neque se parem armis existumabat, et amicitia populi Romani magis, quam Numidis, fretus erat, legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit. Qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. Neque eo magis cupido Iugurthae minuebatur: quippe qui totum eius regnum animo iam invaserat. Itaque non, uti antea, cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit, et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbes, agros vastare, praedas agere; suis animum, hostibus terrorem augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit, eo processum, uti regnum aut relinquendum aut retinendum armis esset; necessario copias parat et Iugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari prope Cirtam oppidum utriusque exercitus consedit; et, quia diei extremum erat,

---

*animum intendit*, h. e. illud occupare parat. *animum* omnes habent antiquae; Langius *animo*.

*in regnum suum convertit*, i. e. redit. Quidam libri addunt *se* ante *convertit*.

*Adherbalem dolore permotum.* Sic Ald. et Gryphiana maior. Minor: *dolore perm. Adherb.* quod et Putschius et Ingolstad.

*quia tentatum antea.* Cf. cap. 13. — *secus*, sc. atque speraverat, h. e. male.

*Neque eo magis* i. e. q. sed eo neutiquam.

Cap. XXI. *aut retinendum armis esset.* Ita Ald. et utraque Gryphiana. Putschius vero, et cum eo recentiores omnes: *aut relinq. esset, aut armis retinendum.* Passim autem in Sallustio, et saepe adeo, verbum, quod habet vim, minime praemittitur.

praelium non inceptum. Sed ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites Iugurthini, signo dato, castra hostium invadunt: semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit; et ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentes moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur: maxume festinans, tempus legatorum antecapere, quos ante praelium factum, ab Adherbale Romam missos audiverat. Sed postquam Senatus de bello eorum accepit, tres adolescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, Senati populique Romani verbis nuncient: „Velle et censere, eos ab armis discedere: de controversiis suis iure potius, quam bello, disceptare: ita seque illisque dignum esse.“

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de praelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur; sed is rumor cle-

---

*plerumque noctis*, h. e. maxima noctis pars. *obscuro etiam tum lumine*, sole nondum orto.

*togatorum*, i. e. Romanorum. Nam Romanorum toga erat, Graecorum pallium. Hinc Virgilius: *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* — Cirthae autem multi degebant Romani, ut legimus cap. 26.

*tempus legatorum antecapere*, i. e. efficere, ut Cirta urbs expugnaretur, antequam legati aliquid effecissent, aut redissent.

*velle et censere — dignum esse.* Gryphiana maior cum Aldina, omissis verbis: *de controversiis — disceptare*, huncce locum ita habet: *velle et censere, eos ab armis discedere, ita seque illisque dignum esse*, atque sic etiam Putschius et Ingolstadiensis, nec non codd. Erlang. et Tegernseeensis. Verba: *de controversiis suis iure potius, quam bello, disceptare*, Popma restituit ex codice Parcensi, quem ab Gosvino Rivio acceperat. Eadem in minore Gryphiana leguntur, quae tamen in fine habet: *dignis esse.* Recentiores omnes recepere.

*seque illisque.* Seque, sc. Romanis, quibus minime dignum erat, si ii, qui in eorum tutela erant, bellum inter se gererent. *illisque* sc. Adherbale et Iugurtha, quia cognati inter se erant. V. cap. 110. in fine: *meque vobisque dignum.*

Cap. XXII. *sed is rumor clemens erat*, h. e. levis, modicus, non nimius. Pro *sed is* alii *sed his*, Ingolstadiensis: *sed de his*, Verum saepissime *his* pro *is* in codicibus scribitur.

mens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit: „Sibi neque maius quidquam neque carius auctoritate Senatus esse: ab adulescentia ita se enisum, ut ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artes a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse. Ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri eius obviam isse: populum Romanum neque recte neque pro bono facturum, si ab iure gentium sese prohibuerit: postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum." Ita utrique digrediuntur. Adherbalis copia adpellandi non fuit.

XXIII. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter naturam loci Cirtam armis expugnare potest; vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque praesidiis firmat: praeterea dies noctesque, aut per vim, aut dolis tentare; defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare; suos hortando ad virtutem arrigere; prorsus intentus cuncta parare. Adherbal, ubi intellegit, omnis suas fortunas in extre-

---

*auctoritate senatus esse.* Gerl. omisso *esse.* — *Senatus* pleraeque et optimae inter antiquas edd. Al. *Senati*, quod Gerl.

*neque pro bono facturum*, h. e. neque pro aequitate. Sed *bono* pro masculino est accipiendum, ut referatur ad populum, quemadmodum dicimus facere aliquem aliquid pro amico, pro philosopho etc. h. e. uti philosophum decet.

*Adherbalis copia appellandi.* Sic Gryphiana utraque. Sed Putschius: *appellandi copia:* quod et Cortius et Gerl., et etiam Ingolstadiensis. Copia autem Adherbalis appellandi non fuit legatis, i. e. q. non licuit iis, adire Adherbalem, propterea quod inclusus is erat in oppido Cirta, et adolescentuli illi tres facile ab Iugurtha deterrebantur.

Cap. XXIII. *propter naturam loci.* Ita Gryphianae cum Ingolstadiensi. Contra Putschius: *propter loci naturam*, quod Cortius et Gerl. ex Ald.

*modo formidinem ostentare*, h. e. modo terrere eos, minitando omnia mala, si propugnare perrexerint.

*ad virtutem arrigere.* In codicum parte est: *ad v. erigere.* Sed et alibi *arrigere* dixit auctor, ut Iug. cap. 86.

mo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his, qui una Cirtam profugerant, duos maxume impigros delegit, eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

XXIV. Numidae paucis diebus iussa efficiunt. Literae Adherbalis in Senatu recitatae, quarum sententia haec fuit.

„Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, Patres conscripti, sed vis Iugurthae subigit: quem tanta libido exstinguendi me invasit, ut neque vos neque deos immortalis in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum iam mensem, socius et amicus populi Romani, armis obsessus teneor: neque mihi Micipsae patris mei beneficia neque vestra decreta auxiliantur: ferro an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehortatur fortuna mea: etiam antea expertus sum, parum fidei miseris esse. Nisi tamen intellego, illum supra quam ego sum petere, neque simul amicitiam vestram et regnum meum sperare. Utrum gravius existumet, nemini occultum est. Nam initio occidit Hiempsalem fratrem meum: deinde patrio regno me expulit. Quae sane fuerint nostrae iniuriae; nihil ad vos. Verum nunc regnum vestrum armis tenet:

---

*in extremo sitas*, i. e. in extremo periculo versari. — *miserando casum suum*, i. e. deplorando miseriam suam adigit.

Cap. XXIV. *exstinguendi me.* Rivius mavult legi: *exst. mei*, sed e coniectura. Tegernseeensis codex bene habet: *me exstinguendi.*

*Plura de Iugurtha*, h. e. de malis, quibus ego afficior ab Iugurtha.

*Nisi tamen intelligo*, etc. Censet Popma, hunc locum esse corruptum, et legendum esse ex quorundam sententia: *et simul amicitiam* pro *neque simul am.* etc. Mihi tamen plana videntur. Sensus est: Illud intelligo, eum non tantum mihi vim inferre, sed etiam vobiscum iam paene aperte bellum gerere; nec, cum memet regno expellit, vestram amicitiam quaerere; potius et me et vos nihili facere, quia primum me regno expulit, nunc autem regnum adeo vestrum armis tenet.

*supra quam ego sum*, h. e. vestrum regnum. — *utrum gravius* etc. h. e. apertum est, neutrum grave eum facere.

me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet: legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid est reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae scribo, et illa, quae antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem, non iam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis ut evadam deprecor. Regno Numidiae, quod vestrum est, uti libet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per maiestatem imperii, per amicitiae fidem, si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.

XXV. His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quam primum Adherbali subveniundum: de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab iisdem illis regis fautoribus summa ope enisum, ne tale decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus viri: in quîs fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis et tum in Senatu princeps. Hi, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim

---

*Quid est reliquum.* Gerl. omisso *est.*
*ut Iugurthae scelerum ostentui essem*, i. e. ut in me sese ostendant Iugurthae scelera.
*et cruciatus corporis ut evadam deprecor.* Sic habuit Beroaldinus codex, teste Rivio, sic et Tegernseeensis et Erlangensis, Harlessio, sic legit Ingolstadiensis editio. *Deprecor* enim quam maxime significat: valde precor, et oro, et supplico, ut docet Gellius VI, 16. Reliqui omittunt verba: *ut evadam.*
*me ex manibus impiis.* Gerl. omissa *ex.* — Post *eripite* Gryphiana minor addit: *per vos*, quemadmodum legitur capite XIV extremo et habet Ald. — *per maiestatem* est formula obtestandi.
Cap. XXV. *non paruisset legatis.* Sic utraque Gryph. Alii: *leg. non par.* uti Gerl., et Putschius ex Ald.
*maiores natu*, *nobiles*, cum ante (cf. cap. 23) tres adolescentes missi essent. — pro *amplis honoribus viri*, ut habet Ingolst., al. *ampl. hon. usi*, al. ut Gerl. *ampl. honoribus.*
*M. Scaurus*, *de quo supra.* Cf. cap. 15.
*quod in invidia res erat*, quod morando facile sibi populi in-

ascendêre: dein brevi Uticam adpulsi, literas ad Iugurtham mittunt: quam ocissume ad provinciam accedat; seque ad eum ab senatu missos. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audierat, contra inceptum suum venisse: primo commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Timebat iram Senatus, ni paruisset legatis: porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebatur. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa vi Cirtam irrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium, aut vi, aut dolis, sese casum victoriae inventurum. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest, ut prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi Senati verbis graves minae nunciabantur, quod ab oppugnatione non desisteret; multa tamen oratione consumta, frustra legati discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtae audita sunt, Italici, quorum virtute moenia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthae tradat: tantum ab eo vitam paciscatur, de ceteris Senatui curae fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur; tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat, deinde omnis puberes Nu-

---

vidiam et iram potuissent contrahere. Gerl. *quod res in invidia erat.*

*Uticam*, oppidum in provincia Romana, olim Carthaginiensium ditione.

*ad inceptum scelus rapiebatur.* Putschius, Corte, Gerlach: *rapiebat.*

*diducta manu hostium* sc., eo, quod per omnia moenia disponendae erant copiae.

*frustra legati discessere.* Sic Gryphianae. Sed Ald., Putsch., Cort., Gerl., *legati frustra discessere.*

Cap. XXVI. *omnia potiora fide Iugurthae*, h. e. omnia potius facienda, quam ut se in Iugurthae fidem committeret.

*Iugurtha in primis Adh. excr. necat,* h. e. ante reliquos omnes

midas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatus obvius fuerat, interfecit.

XXVII. Quod postquam Romae cognitum est, et res in Senatu agitari coepta, iidem illi ministri regis interpellando, ac saepe gratia, interdum iurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset, id agi, ut per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret. Tanta vis gratiae atque pecuniae regis erat. Sed ubi Senatus delicti conscientia populum timet; lege Sempronia provinciae futuris Consulibus, Numidia atque Italia decretae: Consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Numidia Calpurnio, Scipioni Italia obvenit. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium aliaque, quae bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Iugurtha, contra spem nuncio accepto; quippe cui, Romae omnia venum ire, in animo haese-

---

necat, et quidem crudeliter. — Quidam boni codices habent: *Igitur Iugurtha* etc.

*uti quisque armatus obvius fuerat, interficit.* Ita legitur in Aldina, Gryphianis et Ingolstadiensi; pro quo Putschius, Cortius et Gerl.: *ut qu. armatis obv. f.* In fine Gerl. habet *interficit*, uncis inclusum. — Verum tempora verborum saepe similiter in Sallustio permutantur. *Armatus* autem dativo *armatis* ideo mihi praeferendum videtur, quia in antecedentibus puberes commemorantur, utpote qui possent arma ferre, et quod diserte supra commemoratum est, oppidum imprimis ab togatis, i. e. negotiatoribus Italicis, qui ibi degebant, defensum esse. — Pro *Italici* Ingolst. *Itali.*

Cap. XXVII. *interpellando*, h. e. alias quaestiones senatui obiiciendo. — *gratia*, h. e. ita ut senatus propter gratiam, h. e. favorem erga fautores Iugurthae, nihil ageret. — *iurgiis*, contumeliis, quibus in senatu eos persequebantur, qui contra Iugurtham loquerentur.

*lege Sempronia.* Ea lex lata est anno Urbis 531, praescriptumque ea, ut, in quibus provinciis bellum timeretur, in eas consules designati mitterentur.

*Numidia Calpurnio.* Putschius ex Aldina, inverso ordine: *Calpurnio Numidia*, quem reliqui sequuntur.

Cap. XXVIII. *nuncio accepto*, sc. de bello sibi ab Romanis imminente.

rat; filium et cum eo duos familiaris ad Senatum legatos mittit: iisque, uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecepit, omneis mortaleis pecunia adgrediantur. Qui postquam Romam adventabant; Senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus: iique decrevere: ni regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex Senati decreto nunciari iubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat: in quîs fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in Consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant, quas omnis avaritia praepediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae: igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est; multosque mortalis et urbes aliquot pugnando cepit.

XXIX. Sed ubi Iugurtha pecunia per legatos tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit: animus, aeger avaritia, facile conversus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus: qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrume regem impugnaverat; tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existumans, sese interim aliquid Romae pretio aut gratia effecturum: postea vero quam

---

*legat sibi*, h. e. legatos sibi asciscit. — *quae deliquisset, munita*, h. e. si quid male egisset, ea ut sibi impunita essent. — De Scauro v. cap. 15.

Cap. XXIX. *pecunia per legatos tentare.* Sic Aldina, utraque Gryphiana et Ingolstadiensis. Sed Putschius: *per legatos pecunia t.* ut Cort. Gerl.

*ex factione eius*, sc. ipsius Scauri, contra Iugurtham contendentis in senatu.

*sese interim aliquid.* Ald. Putsch. et reliqui: *sese aliquid interim.*

participem negotii Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea fidei caussa mittitur a Consule Sextius Quaestor in oppidum Iugurthae Vaccam: cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit; ac pauca, praesenti consilio, locutus de invidia sui facti, atque uti in deditionem acciperetur, reliqua cum Bestia et Scauro secreta transegit: dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi, [non] cum parvo argenti pondere Quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo

---

*fidei causa*, h. e. quo Iugurtha fidem haberet pactionibus, neque dolum subesse existimaret. — *species erat*, i. e. praetextus mittendi quaestoris. — *palam legatis*, sc. Iugurthae. *deditionis mora*, h. e. interim dum pax deditioque Iugurthae fieret, agebantur induciae, earumque conditio erat, ut frumentum mitteretur consuli ab Iugurtha. — Ceterum *Vaccae* urbis nomen in plerisque codd. *Vaga* scribitur, uti et Havercampius scribit, et Cortius. Sed Putschius et Gerl. *Vaccam* habent; item Ald., Gryphianae et Ingolst.

*de invidia sui facti*. Gerl. *facti sui* ex Putschio. Excusabat autem I. factum suum, ac disserebat praesente consilio, se deditionem velle facere. — *transegit*, Gerl. ex Cortio: *transigit*. Illud Aldina.

*quasi per saturam sententiis exquisitis*. Gerl. ex Cortio: *exquisitis sententiis*. Quidam manuscripti hic habent: *per saturam legem*, sensu plenius expresso. Hoc enim subintelligendum. Lex autem satura est, quae uno rogatu multa simul comprehendit, uti Diomedes explicat. Significatur igitur hac dictione consultatio raptim et nullo ordine habita.

*non cum parvo argenti p*. Ita Gryphianae. Ingolst. *cum non parvo*, uti et Putschius. Cortius *non* delevit, cum Aldina. Non est autem credibile, parvum fuisse pondus, sed mediocre, quod *non parvum* significare possit.

*rogandos magistratus*, h. e. creandos, cui rei interesse oportebat consules.

actae forent, fama divolgavit; Romae per omnis locos et conventus de facto Consulis agitari: apud plebem gravis invidia; Patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium, an decretum Consulis subverterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cuius de libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras Senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne rempublicam, ne libertatem suam desererent: multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere; prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmii facundia clara pollensque fuit; decere existumavi, unam ex tam multis orationem eius perscribere: ac potissumum ea dicam, quae in concione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit:

XXXI. „Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet: opes factionis, vestra patientia, ius nullum; ac maxume, quod innocentiae plus periculi, quam honoris, est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quam ludibrio

---

Cap. XXX. *apud plebem gravis invidia*, quod non bellum persecutus esset consul, Iugurthamque certis pactionibus in deditionem accepisset.

*Caius Memmius.* De eo cf. cap. 27.

*multa superba — ostendere*, h. e. ostendit, quam multa quamque crudelia exstiterint facinora nobilitatis.

*ac potissimum ea dicam, quae.* Ita Aldus dicit scriptum fuisse in Fulvii Ursini libro, habetque Ingolstadiensis. Aliae: *eam dicam, quam.* Ciacconius abundare ait v. *dicam.*

Cap. XXXI. *Multa me dehortantur a vobis*, sc. ne reipublicae causa coram vobis libere, quae sentiam, dicam. Voces *a vobis* non erant in Ciacconii libro. — *ni stud.* — *superet*, h. e. nisi amor in rempublicam omnia ea superaret. — *opes factionis*, sc. me dehortantur. — *patientia*, qua patimini, iniurias tantas fieri. Sed alii legunt: *potentia*, ut habet Ingolstadiensis. — *innocentiae*, i. e. integritati. — Ceterum hoc huius orationis initium ductum est ex oratione Catonis contra Ser. Galbam, Originum VII: *Multa me dehortata sunt huc prodire: anni, aetas, vox, vires, senectus: verum enimvero quum tantam rempublicam agier arbitrarer* etc., uti refert Gellius lib. XIII. cap. 23.

fueritis superbiae paucorum; quam foede quamque multi perierint vestri defensores; ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit; qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse. Sed quamquam haec talia sunt: tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar: verum, id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod saepe maiores vestri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est, suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tiberio Graccho, quem regnum sibi parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones graves habitae sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii caedem item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio, plebi sua restituere; quicquid sine sanguine civium ulcisci nequit, iure factum sit. Superioribus an-

---

*quam foede quamque multi.* Sic editiones antiquae. Cortius pro *multi* habet *inulti*, quemadmodum sane quidam codices, ut Erlangensis. Sed ego tamen adducor, ut vulgarem lectionem tuear, propterea quod et simplicior est, et eadem dictio etiam alias in Sallustio occurrit. Intelligendi autem sunt Gracchi et Fulvius cum asseclis suis.

*obnoxiis inimicis*, h. e. quum inimici vestrae salutis atque libertatis, h. e. nobiliores, vobis obnoxii sint, h. e. poenam metuere debeant, ob manifestum crimen in condonandis Iugurthae malefactis paciscendoque cum eo commissum. — Ablativos hic habent Putsch., Cort., Hav., Gerl. Contra editiones omnes antiquiores: *obnoxii inimicis*.

*quibus vos decet.* Gerl. omisso *vos* pron. — Similiter Cat. 20: *his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus.*

*quem regnum sibi par.* Gerl. omisso *sibi.*

*Quaestiones graves.* Gerl. omisso *graves.*

*Sed sane fuerit regni paratio*: Sed non ego urgeam caedem Gracchorum. Sint illi iure interfecti, ut qui regnum sibi voluerint parare, dum plebi se velle sua restituere iura dicebant. — Pro *paratio* Gryph. maior et Ald. et Ingolst. *reparatio*, i. e. restitutio et renovatio regum imperii.

*quidquid sine sanguine — iure factum sit:* Iure illos caedem civium fecisse concedam, quatenus, quae ab illis commissa erant, sine caede puniri nequiverint. *ulcisci*, passive. Pro *nequit* Gerl. ex Cortio Putschioque *nequitur*, quemadmodum in quibusdam co-

nis taciti indignabamini, aerarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse: tamen haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere. Itaque postremo leges, maiestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifice; sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non praedae, habeant. Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt: vos, Quirites, in imperio nati, aequo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi, qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi et iidem superbissumi; quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones iniustas; plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est; metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere; quos

dicibus est. Sed plerique tamen codices habent *nequit*, quod et Ald. et Gryphiana maior et Ingolstadiensis; neque, quod sciam, a grammaticis hic locus commemoratur, quod tamen foret factum, si *nequitur* legissent. Ego praetulerim *nequitum*, ut sit perfectum; quamquam etiam *nequit* pro *nequiit* aut *nequivit* accipi possit, sicuti in antiquis occurrit *nequisset*, Iug. 15, et *nequisse*, ib. c. 102.

*hostibus tradita sunt*, h. e. Iugurthae, quatenus non pro legibus, neque pro maiestate pop. Rom., nec denique pro divino humanoque iure cum illo actum est. Germ. *an die Feinde verrathen worden.*

*incedunt per ora vestra magnifice.* Fulvii Ursini liber habuit *magnifici*, quod ideo recepit Haverc. et Gerl. Sed plerique tamen codd. et editiones antiquae omnes, *magnifice*, uti et Cortius; neque in hoc magis vis et accentus, quam in verbis *per ora vestra.*

*quasi ea honori, non praedae habeant*, i. e. quasi non eo solum habeant, ut praedam faciant, h. e. divitias sibi quaerant.

*in imperio nati.* Ita editiones pleraeque antiquae et Putschius. Cortius tamen, quem sequitur Gerl., *in* omittit, ex codicibus quibusdam. Sed melius, addita praepositione, videtur opponi servis.

*et iidem superbissimi.* Ita habet Ald. Gryphiana maior et Ingolstadiensis. Gr. minor: *iidemque s.* Putschius: *idemque*, quod inde Cortius, Haverc. et Gerl. recepere.

*metum a scelere suo — transtulere*: Quum illi, qui scelera commisere, debeant metuere, vos metuitis, quia estis ignavi.

omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit; sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quodsi tantam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vestra penes optumos, non audacissumos, forent. Maiores vestri, parandi iuris et maiestatis constituendae gratia, bis, per secessionem, armati Aventinum montem occupavere: vos pro libertate, quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse. Dicet aliquis: quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam: non manu neque vi; quod magis vos fecisse, quam illis accidisse, indignum est; verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae. Qui si dediticius est, profecto iussis vestris obediens erit: sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maxumae divitiae, at in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa, quam haec, tempora magis placent, quum regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, [hoc est, populus Roma-

---

*Quodsi tantam vos libert.* Cort. Hav. Gerl. *quodsi tam vos l.*

*Aventinum montem.* V. *montem* cum Aldina et post Putschium plerique omisere. — Prima autem secessio facta est ob nexos, h. e. ob aes alienum plebeiorum, cf. Liv. lib. II, 32. revocatique sunt tum a Menenio Agrippa; altera sub Appio Claudio decemviro, effectumque ea, ut decemviri abrogarentur. V. Liv. III. 50.

*quid igitur censes?* Cf. oratio Macri in Fragmentis, cuius initium est: *Si, Quirites, parum.* Cuius in media parte haec occurrunt: *Quid censes igitur? aliquis vestrum subiecerit.*

*at in rempublicam damna.* Al. *ad remp.* al. *in remp.* ut Putsch. Cort. Gerl. Utrumque bene coniungit Ingolstadiensis, quae habet: *at in.*

*nondum etiam vos.* Haec verba et Ald. et utraque Gryphiana post v. *satietas* demum collocata habent.

*et illa, quam haec, tempora magis placent.* Illa, sc. quae Gracchorum mortem secuta sunt, ex quo tempore viguit nobilitas, *haec*, quoniam nunc plebs coepit obniti optimatibus.

nus.] invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis, animam retinere: nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego, tametsi [viro] flagitiosissumum existumo, impune iniuriam accepisse, tamen, vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis alterna sollicitudo remanebit, quum intellegetis, aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiae quae spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae; quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium vestrum est: domi militiaeque

---

*hoc est populus Romanus.* Haec verba, quum et per se glossema sapiant, et in vetere Carrionis codice desiderata, et Ciacconio etiam suspecta fuerint, uncis inclusi. Gryphiana minor non habet in textu.

*Atque ego tametsi [viro] flagit.* Gryph. utraque, uti et Aldina, habet: *A. e. tametsi virum flagit.* quod sensum nullum praebet. Hinc Rivius coniecit, legendum, *viro flagit.* quod dein Putschius reliquique recepere. Sed et in margine Gryphianae minoris adscripta est lectio: *tametsi flagitiosissimum*, et eam in textu habet Ingolstadiensis, ut non dubitem v. *viro* includere. — Pro *Atque ego* Gerl. *Atqui ego*, ex Cortio. Illud omnes antiquae.

*quantum importunitatis habent*, h. e. pro importunitate sua. — *parum est* etc., h. e. in posterum peius etiam sunt facturi.

*et vobis alterna sollicitudo.* Ita habet Ingolstadiensis, et Rivius in aliis reperit scriptum, et unice probandum censeo. Nam duplicem metum dicit, aut servitutis, aut belli civilis, nisi nunc, quum occasio sit, quaestionibus maleficos persequantur. Al. *aeterna*, quod et languet et sensum nullum habet. Etenim si manu libertatem vindicent, quomodo aeterna solicitudo?

*sociis vestris veluti hostibus*, sc. Adherbale, qui socius erat P. Romani. — *hostibus pro sociis*, sc. Iugurtha, qui cives Romanos Cirtae interfecit.

*proditum imperium v. est.* Gerl. omisso *est.*

respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxios: quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? Nam impune quaelibet facere, id est regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor, ut iam malitis civis vestros perperam, quam recte fecisse; sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praestat, beneficii, quam maleficii, immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc, si iniuriae non sint, haud saepe auxilii egeas.

XXXII. Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo, Memmius populo persuadet, uti L. Cassius, qui tum praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque, interposita fide publica, Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae arcessebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur,

---

*Quae nisi quaesita erunt*, h. e. nisi de iis severa instituta fuerit quaestio a iudicibus.

*Neque ego vos*, *Quirites*, *hortor*, *ut* etc. Contextus necessario requirit, ut dicat: neque ego vos ad bellum civile atque vim inimicis inferendam exhortor, sed tantummodo ne etc. Id perquam moderate, et ambagibus, et per λιτότητα ita exprimit, non solum ut dicat: non ego hortor ut malitis, cives vestros perperam facere (h. e. vi atque manu iniurias ulcisci), quam recte, (h. e. quaestionibus institutis, maleficos punire,) sed utitur etiam, respiciens praeterita, perfecto: *fecisse*, quod magis etiam rem a praesentia removet. — Pleraeque edd. ante *malitis* addunt *iam*, aliae pro *cives vestros* l. *civ. nostros*, aut post *bonos* habent *omnes*. — V. *iam* habent Ald. Gryph. maior, Ingolst., Putschius.

*Ad hoc*. Quasi de industria auctor hanc dictionem bis in fine huius orationis adhibuit, forsitan ut imitaretur Memmii aliquam in dicendo consuetudinem. Perquam enim crebro utebantur ea formula Romani in sermonibus, quemadmodum et in scriptoribus quibusdam, ut Floro, paene iusto saepius recurrit. Pro *ad hoc* tamen Gryphiana minor priori, Ingolstadiensis posteriore loco habet *at hoc*.

*si iniuriae non sint*, *haud saepe* etc. Hortatur in his, ut fortes se praestent, quoniam factae sint iniuriae; quae nisi fierent, non opus esse auxilio aut punitione.

Cap. XXXII. *Memmius populo persuadet*. Gryphianae pariter et Ald. atque Ingolstadiensis habent: *C. Memmius populo Romano p.*, uti et Putschius. Nostrum Cort. Gerl.

*pecuniae captae arcessebant*, i. e. pecuniae acceptae ab Iugurtha accusabant.

qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant, secuti morem imperatoris sui, plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent, alii perfugas venderent; pars ex pacatis praedas agebant; tanta vis avaritiae in animos eorum, veluti tabes, invaserat. At Cassius praetor, perlata rogatione a C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur, eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quoniam se populo Romano dedisset, ne vim, quam misericordiam eius, experiri malit. Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat; talis ea tempestate fama de Cassio erat.

XXXIII. Igitur Iugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat; confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quae supra diximus, C. tamen Baebium tribunum plebis magna mercede parat, cuius impudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci iubebat, pars, ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste supplicium sumi; dignitati magis quam irae consulens, sedare motus et

---

*alii perfugas venderent.* Ita Ald. Gryphiana utraque et Putschius, nec non Ingolstadiensis, porro Tegerns. et Erl. Sed Gerl. ex Cortio: *vendere.* Pro *agebant* Gryph. minor *agerent.*

*quoniam se pop. Rom. dedisset — malit.* Sic Ald. Gryph. mai. et Ingolst. — Minor *dedidisset*, quod Cortius. — Pro *malit* Cort. et Gerl. *mallet.*

Cap. XXXIII. *confirmatus ab omnibus.* Sine dubio ab his apodosis orditur. So machte er sich doch, nachdem er auch von allen seinen frühern Gönnern und Mitschuldigen beruhigt und bestärkt worden war, noch den Volkstribun C. Baebius durch Geschenke verbindlich.

*C. tamen Baebium.* Vocem *tamen* Putschius, et cum eo Corte et Gerl. omiserunt, quemadmodum sane interdum post *tametsi* omittitur, uti et paullo infra post *quamquam.* Sed quoniam ea in plerisque libris hoc loco addita legitur, profecto tollenda non erat.

*dignitati magis quam irae consulens.* Gerl. ex Cortio: *dign. quam irae magis cons.* atque ita etiam Ingolstadiensis. Nostrum Ald. et Gryph.

animos eorum mollire; postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium coepit, producto Iugurtha, verba facit: Romae Numidiaeque facinora eius memorat; scelera in patrem fratresque ostendit: quibus iuvantibus quibusque ministris ea egerit, quamquam intellegat populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere: si verum aperiat, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

XXXIV. Deinde, ubi Memmius dicendi finem fecit, et Iugurtha respondere iussus est, C. Baebius, tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet: ac tametsi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accensa, terrebat eum clamore, voltu, saepe impetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat: vicit tamen impudentia. Ita populus, ludibrio habitus, ex concione discessit: Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Erat ea tempestate Romae Numida quidam,

---

*fidem publicam per sese inv. fore*, nimirum quae per Cassium data esset Iugurthae; ea ut rata maneat, se omni sua auctoritate effecturum.

*quamquam intelligat P. R.*, i. e. quamquam probe iam noti sint P. Romano.

*si verum aperiat.* Cort. et Gerl. *si vera aperiat.* — *se suasque spes.* Alia est bona lectio: *se suasque opes*, quae fuit in Ciacconii libro, et adscripta est ad marginem utriusque Gryphianae.

Cap. XXXIV. *terrebat eum.* Sine dubio Iugurtham intelligo, ut causam diceret. Nam scriptor in ambiguo reliquit.

*quae ira fieri amat*, h. e. quae saepe ira, ut fiant, efficit; quae ira iubet fieri. Cf. Quintil. IX, 3. *Ex Graeco translata Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri.* Est enim fere Graecorum φιλεῖ.

*ex concione discessit.* Ita est in Aldina et Gryphiana maiore. Minor: *discedit*, quod et Putschius et Gerlachius. Sed Cortius perfectum praetulit, neque aduotatum est ab Harlessio, secus legere Tegernseeensem aut Erlangensem. Ingolst. tamen *discedit* habet.

Cap. XXXV. Novum facinus Iugurthae, Romae patratum, enarratur. Massivam interficit per Bomilcarem. Qua re deprehensa, etsi quinquaginta vades dederat, se staturum esse iudiciis, tamen Bomilcarem in Numidiam dimittit, et ipse brevi eo proficiscitur.

nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos: qui, quia in dissensione regum Iugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, is qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiae ab Senatu petat. Avidus Consul belli gerundi, moveri, quam senescere omnia malebat. Ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agitare coepit, neque Iugurthae in amicis satis praesidii est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat: Bomilcari, proxumo ac maxume fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte: sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur, et per homines talis negotii artifices itinera egréssusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat: deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paullo inconsultius Massivam adgreditur: illum obtruncat; sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex iure

---

*Gulussae.* De hoc cf. cap. 5.

*qui quia in dissensione.* Gryphiana minor: *qui in diss.* omissa coniunctione *quia.* Utraque ratio apte potest admitti.

*is qui prox. an.* Sic et bonus cod. Rivii, et Ingolstadiensis. Ceteri omittunt *is.*

*Iugurthamque ob scelera.* Putschius *Iugurtham* omissa copula, quemadmodum et Corte et Gerl. Sed habent eam omnes antiquiores.

*Avidus Consul.* Supple coni. *enim.* Quia nimirum consul avidus erat belli gerundi, etc.

*moveri, quam senescere.* Sic Gryph. minor cum Putschio. Reliqui, ut et Cort. et Gerl., *movere, qu. s.*

*indicium profitetur,* sc. de Bomilcare.

*Fit reus magis ex aequo.* Bomilcar reus fit, in eoque magis aequo bonoque (h. e. aequitati, quae flagitat ut crimina puniantur,) obsecuti sunt Romani, quam iuri gentium; nam fide publica Romae versabatur Bomilcar, cum Iugurtham comitatus esset. Is autem quinquaginta vades dederat.

gentium, Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quam animadvertit, super gratiam atque pecuniam suam, invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat; regno magis, quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, iussus a Senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur, eo saepe tacitus respiciens, postremo dixisse: „urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit."

XXXVI. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, aliaque, quae militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus est, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, et alias deinde alias morae caussas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: cedere instanti, et paullo post, ne

---

*super gratiam atque pec.* Ita habent Gryphianae, Ingolst. et Putschius. Sed Cort. et Gerl. *supra gr. a. p.* — *contra verum niti*, h. e. niti, ne fiat ius. Iustum enim pro vero, et verum pro iusto, frequenter Latini ponebant, teste Prisciano lib. XVIII. Cf. Caesar B. G. IV, 8. Hor. Epist. I, 12, 24.

*in priore actione*, quum accusatus a Memmio esset. Cf. c. 33.

*Et ipse paucis.* Et pro *etiam*, ut sit i. q. *Ipse quoque p.* Quidam post *paucis* addunt *post.* Cortius del. *eodem* cum Gryph. minore.

*eo saepe tacitus* habent Gryphianae cum Ingolstadiensi. Putschius: *saepe tacitus eo resp.* Cort. *saepe eo t. r.* quod Gerl.

*urbem venalem*, etc. Dixit Iugurtha: haec omnis urbs est venalis; mature ea perierit, si emtorem invenerit. Ideo non exclamationem existimo esse, sed orationem obliquam. Quamquam Punice, omisso, puto, verbo finito, elocutus est, ita ut posset utroque modo accipi.

Cap. XXXVI. *profectus est.* Cort. Gerl. omittunt *est* cum Gryphiana minore et Putschio.

*ante comitia*, magistratibus creandis, quibus oportebat ipsos interesse consules.

*polliceri deditionem.* At vero antea iam eam pepigerat, Romaeque fuerat. Sed neque Romanis placuit, eam fieri, et magistratus de industria bellum quaerebant, quo divitias sibi pararent.

sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora, Consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent. Sed postquam, dilapso tempore, comitiorum dies adventabat; Albinus, Aulo fratre in castris pro Praetore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romae seditionibus tribuniciis atrociter respublica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur: quae dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat; magnisque itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et saevitia temporis, et opportunitate loci neque capi neque obsideri poterat: (nam circum [murum,] situm in praerupti montis extremo planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat) tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdole eius augere amentiam: missitare

---

*neque ex tanta properantia* etc., et qui crederent, quum antea tantopere properasset Albinus, bellum, quod tam facile erat confectu, magis dolo, quam socordia, tractum ab eo esse.

Cap. XXXVII. *terrore exercitus*, h. e. dum eum exercitu suo terreret, adigeretque, uti pecuniae summam sibi offeret.

*nam circum murum, situm in pr.* Ita Gryphiana maior et Ingolst. cum Putschio. Sed minor: *nam circum situm in pr.* omisso *murum* adnotataque ad marginem lectione: *circa murum situm*. Omnino non solum murus in praerupti montis extremo situs erat, sed omne oppidum Suthul; quod suppleri apte potest. Itaque murum eiiciendum duco. Praeterea similis fere constructio occurrit c. 78: *ceterum situm inter duas Syrtes.*

*simulandi gratia*, sc. se existumari, vere posse expugnari oppidum.

Cap. XXXVIII. *subdole eius aug. am.* Ita Gryphianae cum Ingolstadiensi, necnon Ursini liber. Cortius cum Putschio: *subdolus*

supplicantis legatos; ipse, quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur; ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat; centuriones ducesque turmarum, partim, uti transfugerent, corrumpere; alii signo dato locum uti desererent. Quae postquam ex sententia instruxit, intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii sese abdere; pars territos confirmare; trepidare omnibus locis; vis magna hostium, coelum nocte atque nubibus obscuratum; periculum anceps, postremo, fugere an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem: et centurio primipili tertiae legionis per munitionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere. Nostri foeda fuga, plerique abiectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque praeda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cum Aulo in

---

*ita delicta occultiora fore.* Haec verba, quae in omnibus libris hic loci leguntur, Cortius transposuit post: *locum uti desererent.* Gerlachius inclusit, ita tamen, ut pro *fore* dederit *fuere*, ex Putschio. Idem tamen in codd. Italicis invenit *fore;* in uno: *ita del. Auli occultiora forent.* Atque ita intelligendus locus est. Suasit Iugurtha Aulo, spe pactionis faciendae, ut secum in loca abdita secederet, ubi occultius possent transigere de his rebus; ita enim occultius fore delictum Auli, contra reipublicae utilitatem cum Iugurtha contrahentis.

*ex sententia instruxit.* Gerl. ex Cortio: *instruit.*

*arma capere alii, alii sese abd.* In Aldina et Gryphiana maiore, nec non Ingolstadiensi prius *alii* desideratur. Sed quoniam utrumque in plerisque codicibus legitur, et similes huius loci plures in Sallustio occurrunt, ne uncis quidem includendum duxi. — Pro *sese* Gerl. *se.*

*omnibus locis.* Haec verba Cortius cum praecedente *trepidare* coniungit; antiquiores omnes editiones cum sequentibus: *vis magna hostium.*

resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur; occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini et socios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile est memoratu, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem iusserit, decreverit, voluerit: magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae; tanta libido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae supra docuimus, inter laetitiam plebis et suorum fugam, trepida etiam tum civitate, quum ex Mamilii rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quaestio exercitata aspere violenterque ex rumore et lubidine plebis. Ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

XLI. Ceterum mos partium popularium et Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romae ortus est, otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit; scilicet ea, quae secun-

---

*homines nominis Latini* sunt homines Latini, qui cives Romani sunt facti.

*incredibile est memoratu.* Ita Gryphiana maior et Ingolst. nec non cod. Erl. — Al. et Gerl. *memoratu est*, ut Ald.

*iusserit, decreverit, voluerit.* Verba *decreverit, voluerit* Putschius vetusti codicis auctoritate eiicienda iudicat. Videtur tamen de industria scriptor iis addendis studium illud luculentius ob oculos ponere voluisse. Unde retinenda iudico.

*effecerat*, rursus plusquamperfecto pro perfecto posito; item paullo post: *ceperat.*

*Sed quaestio.* Particula *sed* neque hic, uti nec alibi, habet vim adversativam, sed mere coniunctivam, ut sit i. q. *Quaestio autem ipsa* etc. Ceterum antiquae omnes editiones habent ablativum: *Sed quaestione exercitata;* Putschius *exercitâ.* Boni tamen codices nominativum, et quidam adeo *exercitata est*, ut Erlangensis. Ita Gerl., cum Cortio, qui post *lubidine plebis* nonnisi comma positum habet.

Cap. XLI. *mentibus decessit.* Gerl. cum Cortio et Haverc.

dae res amant, lascivia atque superbia incessere. Ita, quod in advorsis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem in superbiam, plebes libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt, respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis, soluta atque in multitudine dispersa, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique respublica agitabatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant: populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant: interea parentes, aut

---

*discessit.* Putschius: *formido illa.* — *secundae res.* Gerl. *res secundae.* — *incessere* sc. mentibus, quemadmodum construitur h. v. ab Sallustio. cf. Cat. 31. — V. *scilicet* abundat.

*asperius acerbiusque fuit*, sc. quam metus hostilis, uti explicat Langius. Potest et per se intelligi, ut suppleatur: quam quis crediderit. Ceterum in hoc omni loco magna est diversitas lectionis. Quam nos cum Gerl. et Cortio dedimus, in Gryphiana est maiore, et Ingolstadiensi, et Aldina; eadem in Gr. minore, notato tamen ad marginem: *asperiores acerbioresque fuere*, uti et Tegernseeensis habet. Popma censet legendum: *otium p. ad. fuere, ac. asperiusque tulere;* nescio an ex codicibus. — In sequentibus Gryphianae cum Ald. et Ingolstadiensi habent, quod scripsimus: *dignitatem in superbiam*, atque ita Putschius in vetusto codice scriptum fuisse testatur. In textu tamen eius non est receptum. Ad marginem Gryphianae minoris addita est lectio: *dignitatem in dominationem.* Cum Putschiano tamen textu omnes recentiores legunt: *dignitatem, populus* (Gryphianae: *plebes*) *libertatem in l. v.*

*respublica, quae media fuerat*, rursus plusquamperfecto pro imperfecto usurpato. — Pleraeque edd. post *dilacerata* addunt *est.*

*factione*, h. e. propter arctiorem, quae inter eos erat, societatem et coniunctionem. Nam *factio* ab initio honesto sensu significabat societatem, ut docet Festus.

*in multitudine dispersa.* Putschius: *in multitudinem d.* Cort. et Gerl. *disp. in multitudine.*

*respublica agitabatur.* Vocem *respublica* post Putschium plerique hic, uti et Corte et Gerl., omiserunt; legitur vero in plerisque codd. et in ed. Aldina et Gryphiana mai. nec non Ingolstadiensi; in Gr. minore ad marginem notata. Excidere autem facile potuit, per compendium *r. p.* scripta. Rivius tamen in suis non vidit.

parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere; polluere et vastare omnia; nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent; moveri civitas, et dissensio civilis, quasi permistio terrae, oriri coepit.

XLII. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere: nobilitas noxia atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat: et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, Tribunum pleb. alterum, alterum Triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis, cupidine victoriae, haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortalis ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae, addidit. Quae res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo, et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnibus civitatis moribus si singillatim aut pro magnitudine

---

*uti quisque potentiori confinis erat*, uti quisque eorum (intellige: parentes militum, aut parvi liberi) conterminus erat possessionibus aut aedibus potentiorum.

*qui veram gloriam iniustae pot. a.*, quales fuerunt Gracchi, qui paullo post nominantur.

*dissensio civ.*, *quasi perm. t.* Cortius *permixtio civ.*, *quasi dissessio terrae*, mutatione pro arbitrio facta. Plerique omnes enim in recepta consentiunt. Permixtionem terrae verte: eine Umwälzung der Erde.

Cap. XLII. *tribunum plebis alt.* Vox *pleb.*, quam in omnibus vidi antiquis editt., deest in Cortio et Gerl.

*Sed bono vinci satius est* etc., bono vinci, h. e. legibus magis obtemperare, melius, h. e. consultius ubique est, quam vi et cum crudelitate iniurias ulcisci.

*omnibus civitatis moribus.* Ita et antiquiores, et Cort. at

parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam Metellus et Silanus, Consules designati, provincias inter se partiverant: Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et quamquam advorso populi partibus, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega communia ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur, diffidens veteri exercitui, milites eligere, scribere, praesidia undique accersere: arma, tela, equos, et cetera instrumenta militiae parare: ad hoc commeatum affatim; denique omnia, quae in bello vario et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda, Senatus auctoritate, socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque, ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, quum propter bonas artes, tum maxume, quod advorsum divitias invictum animum ge-

---

Havercampius. Gerl. *omnis civ. moribus si singul.* Gryph. utraque et Aldina: *singillatim.* Minor idem, ad marginem notato *singulatim.* — Pro *parem* Ald. et Gryph. mai. *par est*, in aliis deest *me* ante *deseret*, ut videatur legendum: *pares disserere.*

Cap. XLIII. *partiverant.* Cort. *paraverunt.* Ingolst. *partiti erant.*

*advorso populi partibus.* Cort., Hav., Gerl. *adv. populi partium.*

*cum collega communia ratus.* Vocem *communia* cum Putschio plerique expunxere. Habent Aldina et utraque Gryphiana et Ingolstadiensis.

*milites eligere, scribere.* Ita Ald. et Gryph. maior et Ingolstadiensis. — Gerl. *milites (eligere,) scribere.* Minor Gryph. uti et Putschius: *milites scribere.* Al. *deligere.* Constructionem quod attinet, asyndeton est, frequens Sallustio; de tautologia autem legendus Gellius XIII, 23; quamquam *scribere* est novos conscribere milites, *eligere* ex iam conscriptis idoneos deligere. Ceterum haud inficiandum est, frequenter in codicibus occurrere duplicem, interdum triplicem lectionem, aut sine coniunctione aut addita *vel* iuxta se positas, ex diversis recensionibus ortas.

*propter bonas artes.* Sequor Ald. et Gryphianas et Ingolstadiensem. Gerl. cum Putschio: *pr. artes bonas.* Artes autem sunt virtutes militares et imperatoriae.

rebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae, hostiumque auctae erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur a Sp. Albino Proconsule iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quam manu promtior, praedator ex sociis, et ipse praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii aut bonae spei accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exspectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum adtingere, quam maiorum disciplina milites laborare coegisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites in stativis castris habebat; nisi quum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur ea, neque more militari vigiliae [de]ducebantur; uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixae permixti cum militibus die noctuque vagabantur, et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agitare,

---

Cap. XLIV. *Sed ubi in Africam venit.* Verte: Als er in Afrika ankam, omissa *sed.* — *Africam*, h. e. provinciam Romanam.

*a Sp. Albino proconsule.* Sic Ald., Gryph., Ingolst., Putschius et codd. plerique. Cf. cap. 86. Cortius: *Sp. Albini pro Consule.* Gerl. *Sp. Albini proconsulis.*

*comitiorum mora.* Serius enim habita fuerant comitia, propter tribunorum contentionem, qui continuare magistratum voluerant. — *aestivorum*, sc. castrorum, h. e. tempus aestivae expeditionis. Cf. Vellei. Pat. II, 105. Cic. ep. ad. Div. VII, 14.

*in stativis castris*, h. e. fixis, uno loco manentibus. Praepositionem *in*, quam omnes fere antiquae habent, omisit cum Cortio Gerl., codices quosdam secutus. Ald. Gryph. maior et Ingolstad.: *in statutis c.*

*neque muniebantur ea.* Haec verba desiderantur in Ald. Gryphiana maiore, Putschio, Cortio; Gerl. inclusit. Restituit olim ex certissimis codicibus Popma, quemadmodum et Gryphiana minor in textu ea recepit. — *deducebantur.* In eadem Gryph. minore legitur *ducebantur*, quod et Putschius habet; quare illud *de* inclusi.

*certantes agitare.* Ita Ald. et maior Gryph. Minor: *certatim agitare*, ut Ing. Putschium secuti plerique et Gerl. *certantes agere.*

eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio et aliis talibus: praeterea, frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: postremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem virum fuisse comperior; tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adiumenta ignaviae sustulisse: ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet; ne lixae exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris neve in agmine servum aut iumentum haberet; ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circuire: item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quispiam ordine egrederetur; ut cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Iugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nunciis accepit, simul de innocentia eius certior Roma factus, diffidere suis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque

---

Cap. XLV. *inter ambitionem saevitiamque*, i. e. neque gratiam militum captando, neque saeviendo nimis. — *moderatum*, h. e. moderatum eum esse res. Mit solcher Mässigung habe er die Mittelbahn gehalten zwischen nachsichtigem Buhlen um der Soldaten Gunst, und zwischen zu grosser Strenge. — *sustulisse*, sc. comperior.

*edicto primum.* Ald. et Gryph. mai. *edicto primo.* — Post *sustulisse* quaedam antiquae *dicitur* addidere, uti et eadem Gryphiana. Non habet Aldina.

*ceteris arte modum statuisse.* Arte i. e. q. arcte, quemadmodum pleraeque antiquae habent. V. cap. 52.

Cap. XLVI. *certior Roma factus.* Ita legendum indicat Popma et legit Putschius. Reliqui omnes *Romae.* In Nonio, qui sub v. Innocentia h. l. citat, haec omnis vox deest. Cf. cap. 82: *Interim Roma per literas certior fit.*

*cum suppliciis*, h. e. supplicationibus, precibus; cf. cap. 66: *fatigati regis suppliciis*, et 47: *legatos supplices mittere.* Cor-

vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos adgreditur; ac paullatim tentando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent: ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nunciare iubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu, in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant: ex oppidis et mapalibus praefecti Regis obviam procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare, omnia illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat; in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Iugurtha tantus dolus tantaque peritia locorum et militiae inerat, ut, absens an praesens, pacem an bellum gerens, perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vacca, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc Consul, simul tentandi gratia, et,

---

tius intelligit ornatum legatorum, corollam vel frondem lauri aut olivae in manibus tenentium.

*obviam procedebant.* Sic antiquae. Gerl. cum Cortio et Haverc. ex Fulvii Ursini libro: *obvii pr.*

*et militiae inerat.* Ita in antt. editt. ante Putschium, qui ex Fulvii libro *erat* dedit, quod deinceps reliqui omnes editores receperunt. Et sane certum est, alios quoque codd., ut Rivii, *erat* legere.

Cap. XLVII. *Huc consul.* Antiquior Gryphiana cum Aldina et Ingolstadiensi: *Huic consul.*

si paterentur, opportunitate loci, praesidium imposuit; praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent, comportare: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum iuvaturum exercitum, etiam paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare; praeter suam liberorumque vitam, omnia Metello dedere. Quos item Consul, uti priores, inlectos ad proditionem domum dimittebat, regi pacem, quam postulabat, neque abnuere neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis com-

---

*simul tentandi gratia, et, si paterentur, opp. l.* etc. Narrat infra cap. 66 — 69, omnes eos, quos praesidio imposuerit Metellus, misere esse ab Vaccensibus iugulatos. Hinc hoc loco uberius auctori de consilio imperatoris exponendum erat. — Sed in antiquis ita haec leguntur: *et, si paterentur opportunitates loci pr. i.* quae cum nullum idoneum sensum praebeant, iam Ciacconius iudicavit legendum esse: *si pateretur,* (sc. oppidum,) *opportunitate loci.* Sed *paterentur* ad incolas referendum.

*ratus id quod res monebat* etc. Haec inprimis excusandi Metelli causa ab auctore adiecta esse, in aprico est. Ceterum valde variat lectio, et quaedam insunt obscuriora. Sensum quidem quod attinet, tria sunt, quae commoverint imperatorem ad praesidium imponendum: primum negotiatorum in eo oppido multitudo, sc. Italicorum, quorum virtute etiam Cirtae (cap. 26.) apprime moenia defensa fuerant: deinde commeatus, qui largus esse debebat eo loci; (cf. initium capitis.) Denique etiam speravit, eam rem paratis rebus (i. e. pacatis) munimento fore. — Gerl. legit: *et commeatu iuvaturum ex.* puto pro *iuvaturam*, antiquo more. Bipontina habet: *et iam pacatis rebus*, ex Rivii coniectura, Putschius: *frequ. neg. et commeatuum iuvaturum ex.* Ciacconius in libris se invenisse scribit: *commeatu.* Alii: *iuvatum.* Rivius scribit, in quibusdam impressis deesse vv: *iuvaturum exercitum*, quemadmodum eadem et Cortius inclusit; et sane participium *iuvaturus* nuspiam alias in bonae notae scriptoribus occurrit. Ald. et Gryphiana maior: *etiam paratis rebus m. f.*, quod habet Cortius. Hoc non dubium, *etiam* coniunctim esse legendum. Ceterum pro *paratis* legere praetulerim aut *pacatis*, aut *patratis*, (cf. Cat. 56. Iug. 13. 75). Nihil tamen muto.

*quos item consul uti priores.* Hic ordo antiquiorum. Putschius: *quos item, uti priores, consul,* uti habet Ingolst. Utrumque est in bonis codicibus, ut nihil necesse sit, alterutrum magnopere improbare.

posuit, ac suis se artibus tentari animadvortit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrumum erat: urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur, explorato hostium itinere, in spem victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in divisione possederat, flumen a meridie oriens, nomine Muthul; a quo mons aberat ferme millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura et humano cultu. Sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertingens, vestitus oleastro ac mirtetis aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta penuriâ aquae, praeter flumini propinqua loca: ea, consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere

---

Cap. XLVIII. *ac suis se artibus.* Cort. et Gerl. *ac se suis artibus.*

*a meridie oriens.* Putschius et recc. *oriens a meridie.* — *mons aberat.* Iidem: *aberat mons.* — Ceterum *mons* h. l. est: das Gebirg, der Bergrücken.

*tractu pari*, sc. cum flumine. Mons ille tractum habebat parem, h. e. parallelum, cum flumine Muthul, a quo tamen distabat ubique fere viginti millia passuum.

*in immensum pertingens*, h. e. longe pertinens per vallem, et transvorsus (ut est cap. 49.) inter flumen montemque, ita ut Metello, monte descendenti, oppositus esset ad dexteram. V. *in immensum* cf. cap. 92.

*humi arido atque arenoso.* Ita minor editio Gryphiana, Putsch., Corte, Haverc., Gerl., eaque lectio stabilitur testimonio Prisciani libro 18. Aridum autem et arenosum substantive usurpata sunt ab auctore: auf dem Boden im Trockenen und Sandigen; seu: im Trocknen und Sandigen des Bodens; quemadmodum Tacitus Ann. I, 61: *praemisso Caecinna, ut occulta saltuum scrutaretur, pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret,* et ibid. 65. *subiecta vallium,* et paullo post: *Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes.* — Codex Beroaldi habuit: *quae humi in arido atque arenoso loco gignuntur.* — Ald. Gryphiana maior et Ingolst. habent: *humo arida atque arenosa.*

*ea, consita arbustis*, sc. loca flumini propinqua.

Cap. XLIX. *quem transvorso itinere porr. d.* Re docuit, etsi

porrectum docuimus, Iugurtha, extenuata suorum acie, consedit: elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit, eumque edocet, quae ageret: ipse propior montem cum omni equitatu et peditibus delectis suos collocat: dein singulas turmas et manipulos circumiens monet atque obtestatur, uti, memores pristinae virtutis et victoriae, sese regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant: cum iis certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint: ducem illis, non animum, mutatum: quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa; locum superiorem, ut prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum consererent; proinde parati intentique essent, signo dato Romanos invadere: illum diem aut omnes labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui et eum ipsum aliis ostentare: postremo, pro cuiusque ingenio, pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare; quum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu conspicatur. Primo dubius, quidnam insolita facies osten-

---

non verbis, capite superiore, cum dixit, eum collem a monte illo usque ad flumen Muthul pertinuisse.

*Iugurtha — consedit.* Priscianus l. 18. haec citans legit: *montem insedit.* — *propior montem*, *näher an dem grossen Gebirg*; sc. quo descendendum erat Metello.

*sub iugum miserint.* Cf. cap. 38.

*locum superiorem*, sc. provisum esse; porro autem provisum esse, ut prudentes cum imperitis, sc. Romanis, etc. manum consererent; omnia ea per loci opportunitatem.

*rudes cum bello melioribus.* Fulvii Ursini liber legit: *cum belli melioribus.*

*cum exercitu conspicatur.* Praetulerunt recentiores plerique, et Gerlachius etiam, lectionem: *conspicitur*, quae est in antiquiore Gryphiana, Ald. et Ingolstadiensi. Sed Donatum legisse *conspicatur*, patet ex eius adnotatione ad Ter. Eun. II, 3, 92. ubi ad illustrandum usum verbi *despicata* huncce locum citat. Et ita etiam Gryphiana minor et Putschius habent. *Conspicatur* autem deponens est, quemadmodum recte cepit Rivius. Cf. Caes. de bell. Gall. V, 49. — Igitur Metellus montem illum, qui pari tractu cum flumine Muthul porrigebatur, eo consilio transgressus est, ut ad flumen perveniret. Quum autem descenderet,

deret. Nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen, quidnam esset, incerti, quum naturā loci, tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati. Dein, brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constituit. Ibi, commutatis ordinibus in dextro latere, quod proxumum hostes erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit: inter manipulos funditores et sagittarios dispertit; equitatum omnem in cornibus locat: ac pauca pro tempore milites cohortatus, aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi animadvortit, veritus, ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet; existumans, hostes crebro impetu et transvorsis praeliis iter suum remoraturos, et, quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere: Marium post principia habere: ipse cum sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentibus adversariis receptui, ac post munimento foret; deinde repente

---

animadvertit hostes ad dextram, in colle, qui in planitie erat. Itaque contra hos statim, cum adhuc in monte esset, dextrum suum cornu instruit, atque ita, instructa acie, in planum descendit, principiis, h. e. primis ordinibus transverse (versus flumen) euntibus, non recta (quod fuisset iter adversus hostes;) ibique substitit, exspectans, ut hostes descenderent colle. Qui cum non degrederentur, praemittit Rutilium ad flumen, qui castris locum antecaperet. Ipse eadem acie, quam instituerat, transversim procedit, in centro Marium habens, ipse in sinistro cornu, quod, (quia transversa pergebat acies) agmen ducebat. Iugurtha postremum Romanorum agmen adoritur, monte, a quo descenderant, occupato. Cum Rutilio interim prope flumen committit Bomilcar.

*quidnam esset, incerti.* Putsch. *inc., qu. e.* quod Gerl. — *milites cohortatus.* Putsch. et Gerl. *hortatus.*

Cap. L. *transversis proeliis*, i. e. ab latere factis. Angriffe auf der Flanke.

signo dato hostis invadit. Numidae alii postremos caedere; pars [a] sinistrâ ac dextrâ tentare; infensi adesse, instare, atque omnibus locis Romanorum ordines conturbare; quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto praelio, ipsi modo eminus sauciabantur; neque contra feriundi aut conserendi manum copia erat. Ante iam docti ab Iugurtha equites, ubi Romanorum turma insequi coeperat, non confertim [neque] in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita, numero priores, si a persequendo hostes deterrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant: sin opportunior fugae collis, quam campi, fuerat, eâ vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes atque cives permixti; nihil consilio neque imperio agi: fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, quum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et aestu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit, ordines restituit et cohortes legio-

---

*pars a sinistra.* Praep. *a* deest in bonis libris. — *adesse, instare, atque.* Sic Ald. Gryph. mai. et Ingolst. Alii, ut Gerl., *adesse atque instare; omnibus l.*

*obvii hostibus fuerant*, plusq. perf. pro imperfecto *erant*, ut saepe apud Sallustium.

*ubi Romanorum turma.* Putsch., Corte, Haverc., Gerl.: *ubicumque.* Pro *turma* Cort. *turba.*

*non confertim neque in unum.* Vox *neque* desideratur in Gryphiana maiore, et commode potest abesse. Reliqui, ut et Gerl., habent.

*numero priores*, sc. Iugurthini, i. e. numerosiores, plures numero, quam Romani, utpote qui *disiecti* erant, h. e. divisi, (cf. cap. 53.) a suis et dissipati, quia persequendi iis fuerant Iugurthini alius alio cedentes.

*quam campi, fuerat.* Sic Ald. Gryph. maior et Gerl. — Cortius cum Putschio: *quam campi fuerant.* Idem Gryph. minor. Forsitan optime Ingolstadiensis: *quam campus, fuerat.*

narias quatuor advorsum pedites hostium collocat; eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare et hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes vincere: neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat: circumire, hortari, renovare praelium, et ipse cum delectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare; quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri, certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus: Iugurthae alia omnia, praeter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt, neque sibi profugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, et iam diei vesper erat; advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso loco, Numidae fusi fugatique, pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt.

Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paullatim suos in aequum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat: neque remittit interim, quid ubi-

---

Cap. LI. *orare et hortari.* Copulam *et* utraque habet Gryphiana cum Aldina, uti et Tegernseeensis et Erlangensis cod. Omittunt Ingolst. Putschius, Corte, Gerl. — *Sed nec Iug.* Sic utr. Gryph. et Putsch. — Cort. Hav. Gerl. *Sed ne I. qu.*

*eminus pugnando retinere*, h. e. eos iaculis eminus impugnabat, quominus suis possent instare.

Cap. LII. *neque sibi profugium esse.* Ita Ald., Gryphianae et Ingolst. et Putschius. — Cort. Havere. Gerl. *perfugium.*

*et iam diei vesper erat.* Ald. et Gryphianae: *aderat.* Gerl. cum Putschio et Cortio: *die*, ἀρχαϊκῶς. Cf. Gellius IX, 13 sq. Ceterum Gerl. verba *et iam die vesper erat* uncis inclusit.

*adverso colle evadunt*, h. e. impetu facto collem occupant, ad summumque evadunt eius fastigium.

*Bomilcar*, qui in eodem colle, sed propius flumen, consedit.

*neque remittit interim.* Vocem *interim* recentiores cum Putschio omittunt, habent Gryphianae et Ingolstadiensis.

que hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthae praelio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam, diffidens virtuti militum, arte statuerat, quo hostium itineri obficeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvertunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: post ubi aequabilem manere et, sicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare vident, cognita re, properantes arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. Numidae, tantum modo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam eos impeditos ramis arborum atque ita disiectos circumveniri vident, fugam faciunt, ac plerique, abiectis armis, collis aut noctis, quae iam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes, triginta numero, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et praelio fessi, laetique erant: tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi neque remissi patiebatur. Ac primo obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes adventarent, alteri apud

---

*cognita re*, h. e. clamore audito. — *arte*, i. e. q. *arcte.* — *quo hostium it. obf.*, i. e. ut Rutilio, suis auxilium ferenti, resisteret.

Cap. LIII. *reliqui omnes, triginta numero.* Ita Gryphiana minor et Erl. cod., Popmaque in notis testatur, sic in omnibus scriptis se reperisse; nemine tamen recentiorum adstipulante, qui ad unum omnes sequuntur lectionem Gryphianae maioris; inverso verborum ordine, Putschii exemplo: *numero quadraginta.*

*fessi, laetique erant.* Hanc lectionem habent Ald. Gryphiana maior, Gruter, Wasse, Corte, Havercamp. et Gerl. — Minor Gryph. et Ingolst. legunt: *fessi lassique.* Laeti autem erant ob victoriam, ideoque minus propensi ad intente agendum.

*velut hostes adventarent.* Ita et Gryph. minor, (ad marg.

alteros formidinem simul et tumultum facere: et paene imprudentia [esset] admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu repente gaudium exortum: milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad coelum fert. Quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsae res etiam bonos detrectant.

LIV. Metellus, in iisdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in praeliis more militiae donat, universos in concione laudat atque agit gratias; hortatur, ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant: pro victoria satis iam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos, Iugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat, ibique cogebat exercitum, numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmúmque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo cuiusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiae ducitur; ita se mores habent. Igitur Metellus, ubi videt animum regis etiam tum ferocem esse:

---

not. *adventare*,) et Putschius. Reliqui et Gerl. cum Gryph. mai. *velut hostes adventare*.

*imprudentia esset admissum*. Vox *esset* deest in Gryph. min., Putschio, Cortio et Gerl., legitur in Gryph. maiore; quare uncis inclusi. Popma se post *miserabile* in codd. *foret* legisse scribit.

*gaudium exortum*. Priscianus videtur legisse: *gaudium mutatur*.

*detrectant*. Hoc habet Gryphiana minor; maior per vitium: *decretant*; utraque ad marginem: *detractant*, quod Ingolst. et Cort. et Gerl. — Putschius: *detrectant*. Sensus: efficiunt, ut virtus aut gloria eorum minuatur.

Cap. LIV. *in iisdem castris*, nempe ad flumen Muthul.

*quae levia sunt*. Omnes consentiunt in indicativo. Similiter cap. 63. *quae animo agitabat*.

*hebetem infirmumque*. Gryphiana minor haec habet omissa copula.

*animum regis etiam tum fer. esse*. Hoc ordine in Ald. et

bellum renovari, quod, nisi ex illius lubidine, geri non posset; praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus: minore detrimento illos vinci, quam suos vincere: statuit non praeliis neque in acie, sed alio more bellum gerendum. Itaque in loca Numidiae opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida, temere munita aut sine praesidio, capit inceditque, puberes interfici iubet, alia omnia militum esse praedam. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum et alia, quae usui forent, adfatim praebita: ubicumque res postulabat, praesidium impositum. Quae negotia multo magis, quam praelium male pugnatum ab suis, regem terrebant; quippe, cui spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur; et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex inopia, quod optumum videbatur, consilium capit: exercitum plerumque in iisdem locis opperiri iubet; ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur; nocturnis et aviis itineribus ignoratus, Romanos palantes repente adgreditur; eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur: nemo omnium intactus profugit; et Numidae, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant, in proxumos collis discedunt.

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus, ut sese et exercitum more maiorum

---

utraque Gryphiana et in Ingolstadiensi. Putschius: *etiam tum regis an. fer. esse*, quem sequitur Gerl.

*iniquum certamen.* Gerl. *inimicum certamen*, quod habet Ald. et Gryphiana maior, quum minor et Ingolst. et Putsch. nostrum habeant. Illud tamen Tegerns. et Erl.

*in loca Numidiae.* Gerl. *in Num. loca.*

*puberes interfici iubet, alia o.* etc. Ita minor Gryphiana. Sed maior: *puberes interficit, iubet alia o. m. esse praedam*; quam sequitur Gerl. nisi quod in fine habet *praedam esse.* Corte: *pub. int.; alia o. m. praeda esse.* Nostram habet Putschius, nisi quod legit: *praeda esse.*

*Tamen ex inopia.* Cort. et Gerl. *ex copia*, ut saepius occurrit. Verum illud omnes reliqui. Verte: Er fasste jedoch nach den misslichen Umständen den Plan, der etc.

*in iisdem locis*, sicut ab initio cap. *in iisdem castris*, h. e. uno eodemque loco.

Cap. LV. *ut sese et exercitum.* Haec Ald. et Gryphianae ma-

**LVII.** Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum, in campo situm, magis opere, quam natura, munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit; legatis imperat, ubi quisque curaret: deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur. Neque ea res Numidas terret; infensi intentique sine tumultu manent; praelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare, alii succedere, ac modo murum subfodere, modo scalis adgredi: cupere praelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudes, pila, praeterea picem sulphure et taeda mixtam ardenti mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat; nam pleros-

---

Cap. LVII. *Marius ad Zamam pervenit.* Praepositionem, quam omnes rel. habent, omittit Ingolst., et sane commode potest abesse, licet non in urbem venerit Marius.

*glande aut lapidibus.* Glandes globuli erant plumbei, qui funda iaciebantur; cf. Lucret. VI, 178.; lapides aut funda aut manu mittebantur.

*alii succedere*, i. e. propius accedere ad murum.

*cupere praelium in manibus facere.* Minor Gryphiana omittit praep. *in*, ad marginem tamen notata lectione: *in moenibus.* Ceterae omnes, et Gerl., habent *in manibus*, i. e. cominus, ἐν χερσίν.

*praeterea picem sulphure et taeda mixtam ardenti mittere.* Haec est Ald., Gryphianae mai. et Ingolst. lectio, quam retinuit Cort. et Gerlachius, nisi quod habent *ardentia.* — Putschius: *praeterea pice et sulphure taedam ardentia mittere*, nulla nota adiecta. — Minor Gryph. *praeterea picem, et sulphure taedam mistam ardenti mittere*, quam lectionem reliquis praefert Rivius ex codice Fabriciano; qui tamen in aliis plerisque *pice* invenisse se scribit. In Cortii lectione displicet plur. *ardentia*, quum sola pix sit subiectum. Putschii obscurior est iusto. In Gryphiana minore unum ardet sulphur. Alii de taedis missis videntur intellexisse, cui interpretationi repugnat singularis *taedam* (Kien). Conferendus autem Caesar de bello civ. II, 11., ubi narrat, *Massilienses cupas taeda ac pice refertas incensasque de muro devolvisse.* Similiter Zamenses picem igne liquefactam, sulphureque et taeda mixtam super accedentes ad murum effundebant. Part. *ardenti* ad taedam refero, quippe quae clarius ardet pice aut sulphure.

*manserant — muniverat;* plusquamperfectum pro imperfecto, ut saepe.

que iacula, tormentis aut manu emissa, volnerabant: parique periculo, sed fama impari, boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit: remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis, quam praelium, exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere, paullo, quam alii, editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt: sed tela eminus missa remittere: pauci in pluribus minus frustrari: sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus quum acerrume rem gereret, clamorem et tumultum hostilem a tergo accepit: deinde, converso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri: quae res indicabat, populares esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere misit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque lacrumans per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostes inultos abire sinat. Ille brevi mandata efficit. At Iugurtha, munimento castrorum impeditus, quum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent, multis amissis, in loca munita sese recepit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

---

Cap. LVIII. *castra hostium*, quae procul Zama erant. — *remissis*, i. e. dum remissiores, dum securi agebant. — *portam*, sc. castrorum. — *pro moribus*, i. e. prout quisque erat vel fortis vel ignavus.

*pauci in pluribus minus frustrari.* Putschius: *frustrati*, quem sequuntur Cort. Gerl.

*clamorem et tumultum host.* Verba *et tumultum*, quae habent Ald., Gryphianae, Ingolstadiens. et Putschius, omittunt Cort. Gerl.

*At Iugurtha*, sc. dum a Mario castris, quae iam occupaverat, expellitur. — *praecipitarentur*, h. e. sese praecipitarent, quia nolebant per angustias portarum se recipere.

LIX. Igitur postero die, priusquam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet: portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipse pergit ad oppidum, atque, uti superiore die, murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit. Qui in proxumo locati fuerant, paullisper terrifi perturbantur: reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent, quibus illi freti, non, uti equestri praelio solet, sequi, dein cedere; sed adversis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis paene victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in sese, spem habere: pariterque oppidani agere, oppugnare aut parare omnibus locis: avidius alteri alteros sauciare, quam semet tegere; clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item strepitus armorum ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paullulum modo pugnam remiserant, intenti praelium equestre prospectabant: eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadverteres: ac, sicuti a suis audiri aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti cor-

---

Cap. LIX. *Qui in proximo.* Putschius: *qui in primo*, ex manu scriptis, ut ait.

*Neque diutius Numidae* etc. Quod diutius resisterent Numidae, inde evenit, quod eorum equites tum habebant pedites inter se mixtos, quibus fisi equites, non, ut ante solebant, cedentes semper pugnabant, sed acrius implicabantur, adeo ut perturbaretur Romanorum acies. Id autem facere quasi coacti erant, quoniam opus erat, ut expedirent pedites suos, antequam cederent. Quod dum faciebant, acrius insistendo paene vicerunt Romanos.

*victos dare.* Sic Caes. bell. Gall. V, 51.: *celeriter hostes in fugam dat.*

Cap. LX. *Sicuti a suis audiri.* Putsch. Cort. Havert. Gerl. *sicuti audiri a suis.* Langius: *sicubi*, quod et edd. Elzev. Bipont. et Telleri, nulla auctoritate, neque sensu congruente.

poribus: huc et illuc, quasi vitabundi aut iacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est, (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere ac diffidentiam rei simulare: pati Numidas sine tumultu regis praelium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur: et iam scalis egressi milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt, lapides, ignem, praeterea alia tela ingerunt. Nostri primo resistere: deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, adflicti sunt; ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus abeunt. Denique utrimque praelium nox diremit.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi, neque Iugurtham, nisi ex insidiis aut suo loco, pugnam facere, et iam aestatem exactam esse, ab Zama discedit, et in his urbibus, quae a rege defecerant, satisque munitae loco aut moenibus erant, praesidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit: sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iu-

---

*aut niti corporibus, huc et illuc* etc. Ita Ald. et maior et minor Gryphianae, et Putschius. Sed Cortius: *et huc illuc*, Gerl.: *et ea huc et illuc*. Ingolst. cum codice Erlangensi: *et ita huc et illuc*.

*praeterea alia tela*. Putsch. *alia praeterea tela*, quem sequuntur Cort. et Gerl.

*scalae comminutae*, i. e. fractae aut deiectae. — *qui supersteterant*, h. e. qui, scalis egressi, murum prope ceperant eiusque summa parte manibus haerebant. — *afflicti*, i. e. male mulcati vel ab hostibus, vel cum se muro praecipitarent, humo. — *confecti vulneribus*. Gerl. *vuln. conf.* — Pro *quoquo modo* cum Putschio Havercampius: *quo quisque modo*.

Cap. LXI. *quae a rege defecerant*. Ita Ald. et utraque Gryphiana, et citat Priscianus libro VIII. — Putschius habet: *ab se*, quod legitur cap. 66. — Cort. Haverc. Gerl. *quae ad se defecerant*.

*in provinciam, quae*, h. e. in eam partem provinciae Romanae, quae etc. — Codicum pars habet: *in provincia*. Post *proxuma* verbum *est* omittit Gerl. — Cortius autem verba *quae proxima est Numidiae* uncis inclusit.

gurtha fuerat et inde vadibus datis de Massivae nece clam iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat: deinde fide data, si Iugurtham vivum aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi Senatus impunitatem et sua omnia concederet, facile Numidae persuadet, quum ingenio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit; monet atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optime meritae, provideat: omnibus praeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos, occisos, regni opes comminutas esse: satis saepe iam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveat, ne, illo cunctante, Numidae sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem animum regis impellit. Mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis accersiri iubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum, ex consilii decreto, per legatos Iugurthae imperat argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantulum.

---

*de Massivae nece clam iudicium fugerat.* Putschius: *et inde clam, vadibus datis, de Mass. nece, iudicium f.* Cortius: *clam Massivae de nece iud. fugerat*, quod Gerl. — Ingolst.: *et inde vadibus datis clam de M. nece iud. fug.* Nostrum Gryphianae cum Ald. Res autem narrata est cap. 35.

*per conditiones* sc. pacis, *in Folge der zu schliessenden Friedensbedingungen.*

Cap. LXII. *optume meritae.* Cum Putschio Cortius, Hav. Gerl. *optume merenti.*

*illo cunctante*, sc. Iugurtha ipso, ut saepius.

*animum regis.* Gerl. *regis animum.*

*accersiri iubet.* Gerl. *accersi.* Cort. Hav. *arcessiri.*

*armorum aliquantulum.* Gerl. cum Putschio et Cortio: *aliquantum.* Sed ea diminutiva saepissime et omnino apud veteres, et imprimis apud Sallustium usurpata. Habet Gr,

Quae postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci. Eorum magna pars, uti iussum erat, adducti: pauci, quum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumptis, quum modo, taedio rerum advorsarum, omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque praesidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Et Romae Senatus, de provinciis consultus, Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Uticae forte C. Mario, per hostias diis supplicanti, magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat: proinde, quae animo agitabat, fretus diis ageret; fortunam quam saepissume experiretur; cuncta prospere eventura. At illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetustatem familiae, alia omnia abunde erant; industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, libidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is, natus et per omnem pueritiam Arpini alitus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artis bonas

---

*ad imperandum Tisidium;* gerundium passive accipiendum: *ut sibi imperaretur.* Sic Cic. Epist. IX, 25: *nunc ades ad imperandum, sive ad parendum potius.* Ceterum hanc lectionem Servius adnotat ad Virg. Ecl. VIII. 71. Al. leg. *ad imperatorem.*

*praesidiis nequidquam perditis,* i. e. pecunia, elephantis, armis, viris, Metello traditis.

Cap. LXIII. *quae animo agitabat,* indicativum pro coniunctivo: *quae an. agitaret,* ut cap. 54. *quae levia sunt.*

*praeter vetustatem familiae.* Plebeius enim erat, neque vetusta familia in honoribus.

*per omnem pueritiam Arpini alitus.* Cum Putschio plerique et Gerl. *et omnem puerit. Ar. altus.* Sed *alitus* et Diomedes videtur legisse lib. I., item Priscianus. *Per* in utraque legitur Gryphiana, ut et *alitus.*

integrum ingenium brevi adolevit. Ergo, ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus, per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit: semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is, ad id locorum talis vir, (nam postea ambitione praeceps datus est,) consulatum adpetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebs, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. Novus nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia missionem rogat; cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum, commotus insolita re, mirari eius consilium, et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda esse; debere illi res suas satis placere: postremo caveret, id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur. Postquam haec atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret. Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, „ne festinaret abire; satis ma-

---

*Ergo ubi primum tribunatum* etc. Verte: Sobald als er daher sich um das Amt eines tribunus militaris bewarb etc.

*facile notus*, sc. fama militari. — *ad id locorum*, h. e. usque ad eum locum, ad id tempus, quo consulatum est adeptus. Sic *post id locorum* cap. 72.

*Etiam tum alios* etc. Plenius haec ita sunt accipienda: *Nam etiam tum reliquos quidem magistratus plebs largiebatur, consulatum vero* etc.

*per manus* tradi dicuntur, quae posteri a maioribus quasi haereditario iure accipiunt. Cf. Quintil. XII, 4. Liv. V, 51.

*egregiis factis*. Haec Putschii est lectio, quam recepit Corte et Gerl. — Gryph. utraque habent: *egregius factis*. Ingolstadiensis: *egregius factus*; idem codd. Tegerns. et Erlangensis.

Cap. LXIV. *missionem rogat*, h. e. veniam, Romam eundi. — *superabant*, h. e. quamquam ea abunde in eo erant.

ture illum cum filio suo consulatum petiturum." Is eo tempore [in] contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti. Quae res Marium quum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari: neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose simul et magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto [bellum] trahi, quod, homo inanis et regiae superbiae, imperio nimis gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus et ob eam caussam mente

---

*Is eo tempore in contubernio.* Popma in duobus codicibus scriptum invenit: *Nam is eo t.* — Putschius, Corte, Gerl. praepositionem *in* ante *contubern.* omittunt, uti et Gryph. minor. Sed maior habet, et Ingolst., quare inclusam dedimus.

*ita cupidine atque ira grassari:* ita ultra progrediebatur Marius ad exsequendum propositum, actus simul cupidine (sc. honorum) atque ira (adversus Metellum). — *quod modo ambitiosum foret*, i. e. quo sibi favorem civium suffragiaque eorum conciliaret.

*criminose*, i. e. Metellum criminans, inculpans. — *magnifice* i. e. sese extollens.

*consulto bellum trahi.* Vocem *bellum*, quam habent Gryph. utraque et Ingolstadiensis, omiserunt Cort. et Gerl., praeeunte Putschio.

*Quae omnia illis*, sc. mercatoribus seu negotiatoribus. — *res familiares corruperant*, h. e. amiserant, perdiderant, impeditis negotiis. Sic Cat. 43. *opportunitates corrumpere.* Sed Gryphiana minor habet *res familiares corruperat*, ad marg. notato: *corruperant.* Item Ingolstadiensis, et Putschius, quod longe elegantius dictum esse iudicat Wasse.

*animo cupienti*, sc. qualis erat negotiatorum illorum.

Cap. LXV. *morbis confectus.* Ingolst. *moribus confectis.* Verum paullo infra idem dicitur ob morbos animo parum valido fuisse. Dubio procul ebucus fuit.

paullum imminuta. Cui Metellus, petenti, more regum ut sellam iuxta poneret, item postea custodiae caussa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellavisset, praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, ut contumeliarum in imperatorem cum suo auxilio poenas petat; hominem, ob morbos animo parum valido, secunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse: si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum. Id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic a multis illi mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur; simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Iugurtha, postquam, omissa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum: civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia adfectare: communire suos locos, arma, tela, aliaque, quae spe

---

*anxium* i. e. sollicitum ob repulsam illam duplicem, quam a Metello tulerat.

*ut contumeliarum in imperatorem.* Consentiunt in hac lectione et Ald. et utraque Gryph., et Ingolst. et Putschius, item codd. Erl. et Teg. nisi quod Erl. habet *in imperatore.* Posse autem poenas peti in aliquem, haud facile quis negaverit. Cortius tamen, et cum eo Gerl., legunt; *ut contumeliarum imperatoris* etc.

*et equites Romanos, milites et neg.* Popma in antiquo libro se reperisse scribit: *et equites Rom. multos et negotiatores.* Sed verba: *milites et neg.* sunt appositio ad *equites Rom.*, quorum alii militabant in exercitu, alii negotiabantur.

*Sic a multis illi.* Cum Putschio plerique: *Sic illi a multis.*

*per legem Mamiliam*, latam a Mamilio, tribuno pl., qua effectum, ut novi homines ad magistratum admitterentur.

Cap. LXVI. *adfectare*, i. e: sollicitare, ad suasque partes pertrahere studere. Cf. Tacit. Hist. IV. 66.

pacis amiserat, reficere aut commercari: servitia Romanorum adlicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare: prorsus nihil intactum neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vaccenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant: nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum: dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt; quod is, festus celebratusque per omnem Africam, ludum et lasciviam magis, quam formidinem, ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militaris et ipsum praefectum oppidi, T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant: eos omnis, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantis, inermis, quippe in tali die, ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quîs, acta consiliumque ignorantibus, tumultus ipse et res novae satis placebant.

LXVII. Romani milites, perculsi improviso metu, incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare; arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, [petere], prae-

---

*Igitur Vaccenses, quo Met. initio* etc. Cf. cap. 47. — *regis suppliciis*, i. e. precibus.

*nam vulgus, uti plerumque* etc. Nam vulgus per se inclinabat; quo securius, eo freti, nobiles coniurare poterant.

*in diem tertium constituunt*, sc. rem perpatrandam. — *ostentabat*, cf. cap. 23. *er liess erwarten.*

*T. Turpilium Silanum*, cuius vitae exitus narratur cap. 69. ad fin. — *ac sine imperio*, h. e. cum omnes eorum (Romanorum) centuriones ac tribuni interfecti essent, nemoque iis imperaret.

Cap. LXVII. *perculsi improviso metu.* Part. *perculsi* deest in Putschio, Cort., Hav., Gerl. — *trepidare*, h. e. huc illuc cursitabant.

*arcem oppidi.* Haec verba Putschius et Cortius cum praecedenti *trepidare* iungunt, addita praep. *ad*, et colo post *scuta erant* posito. Gryph. utraque et Ald. et Ingolst. *trepidare arcem oppidi, ubi s. e. sc. e., pr. h.* etc. Antiquior lectio ad marginem minoris notata: *trepidare ad arcem oppidi*, deinde: *petere praesidium hostium.* Ingolstadiensis autem praeclare comma ante *ar-*

sidium hostium; portae, ante clausae, fugam prohibebant: ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse: iuxta boni malique, strenui et imbelles multi obtruncati. In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius praefectus, unus ex omnibus Italicis, profugit intactus. Id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integrâ famâ potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

---

*cem* habet collocatum. Omnino, arcem statim occupasse Vacoenses, quam maxime consentaneum est. Posse autem v. *prohibere* construi cum accusativo eius rei, a qua quis prohibetur, testatur et sq. *fugam*, et locus in Plaut. Curcul. V, 2, 7.: *obsecro, parentes ne meos mihi prohibeas.* Bene igitur se habet lectio Gryphianarum, cuius sensus est: neque arcem Romanis petere licuit, quippe quae occupata erat ab hostibus, neque ex oppido fugere, quia portae clausae erant, antequam tumultus fieri inciperet. Gerl. *trepidare*; *ad arc. o., ubi s. e. sc e., pr. hostium.*

*pro tectis*, i. e. de tectis coniiciebant. — *anceps malum*, i. e. quod a diversis partibus imminebat, a tectis aedium sibi invicem oppositis. Cf. Corn. Nep. Themist. III, 3.

*multi obtruncati.* Putschius, Cortius, Haverc., Gerl. *inulti* praetulere, ideo quod paullo post narretur, unum Turpilium effugisse. Sed primo additur, illum effugisse *intactum;* deinde, unum *ex Italicis*, non omnino ex iis, qui pro re Romanorum steterint; inter quos et Numidas fuisse coniici potest, sicuti fuerunt in Metelli exercitu; cf. cap. sq. Denique vix putaverim, Sallustium duo negantia sic coniunctim posuisse: *imbelles inulti.* Ceterum ultus brevi post est Metellus. Praetuli igitur Ald. et Gryph. utriusque lectionem et Ingolstadiensis. In codice Erlangensi epitheton totum hoc desideratur. — Pro *obtruncati*, quod habet Cort. cum Putschio et Ingolst., utraque Gryph. et Gerl. legunt: *obtruncari.*

*nisi, quia illi in tanto m.* Coniunctio *nisi* in huiusmodi forma loquendi plerumque i. s. q. *hoc unum dico.* H. l. verti potest: offenbar aber erscheint er als schlecht und etc.

*intestabilis*, i. e. probrosus. Cf. Plaut. Curcul. I, 1, 30. Sic, teste Gellio VII, 18. Cornelius Nepos in quinto Exemplorum habuit, eos qui, cum pacti essent, ad Annibalem non redissent, usque adeo *intestabiles invisosque fuisse*, ut necem sibi conscivérint. Cf. Gell. VI, 7. Proprie intestabilis erat, cui neque testamentum facere, neque testimonium exhibere licebat. Apud Sallustium redit h. v. in oratione Lepidi in Fragmentis.

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vaccae actis comperit, paullisper moestus e conspectu abit: deinde, ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos potest, Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit; et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo superioribus circumventam. Ibi milites, fessos itineris magnitudine et iam abnuentis omnia, docet, oppidum Vaccam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent: praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire et signa occultare iubet.

LXIX. Vaccenses ubi animadvertere, ad se vorsum exercitum pergere: primo, uti res erat, Metellum esse rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Iugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere, alii ad portas festinare, pars turris capere: ira atque spes praedae amplius, quam lassitudo, posse. Ita Vaccenses biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna atque opulens, cuncta poenae aut praedae fuit. Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra osten-

---

Cap. LXVIII. *permixta sunt*, h. e. ubi ita satisfactum erat moerori, ut ira posset locum habere.

*pariter cum*, i. e. q. simul cum, cf. cap. 106. *pariter cum ortu solis;* et cap. 77. *pariter cum capta Thala.* — *circumventam* i. e. cinctam, circumdatam.

*praedam benigne*, i. e. largiter, liberaliter. Hor. Od. I, 9.: *benignius deprome quadrimum Sabino, o Taliarche, merum diota.*

*equites in primo late.* Et Ald. et Gryph. et Ingolst. et Putschius: *eq. in primo latere.* Dein Gryphianae: *ped. qu. arct. pergere.*

Cap. LXIX. *uti res erat.* Ita Gryph. utraque et Putsch. et Ingolst. Sed Cort., Haverc., Gerl. *uti erat res.*

*spes praedae amplius.* Gerl. cum Cortio: *praedae spes amplius.*

*unum ex omnibus*, sc. Italicis. Cf. supr. c. 67.

dimus, iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque poenas capite solvit; nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi et ipse eum suspiciens, novas res cupere; ad perniciem eius dolum quaerere; die noctuque fatigare animum. Denique omnia tentando, socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum, acceptumque popularibus suis: qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare et omnis res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso aut maioribus adstricto superaverant: ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar, simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quaereret, literas ad eum per homines fidelis mittit, in quîs mollitiem socordiamque viri accusare, testari deos, per quos iurasset; monere, ne praemia Metelli in pestem converteret; Iugurthae exitium adesse; ceterum suane an virtute Metelli periret,

---

*poenas capite solvit.* Cort., Hav., Gerl., *capite poenas s.*, Putschium secuti.

*civis ex Latio erat*, i. e. non proprie civis Romanus; qui si fuisset, non licuisset eum securi feriri. Cf. Liv. XXX, 42.: *de perfugis gravius, quam de fugitivis, consultum; nominis Latini qui erant, securi percussi; Romani in crucem acti.*

Cap. LXX. *deditionem, quam metu deseruit*; uti narratum est cap. 62.

*superaverant*, superfuerant, adeo, ut ea ipse obire nequiret. Citatur hic locus a Gellio I, 22. Cf. Cat. 20. Iug. 64.

*iussus.* Gryph. minor: *iussu*, sc. Iugurthae. — *inter hiberna.* Ingolst. *in hiberna.* Sed *inter hiberna* est: prope ea.

*timore socii*, sc. quem timorem Nabdalsa timebat; cuius de metu supra.

*ne praemia Metelli in p. converteret*, h. e. ne efficeret, ut pro praemiis pestem, h. e. perniciem, a Metello nancisceretur.

id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, praemia an cruciatum mallet.

LXXI. Sed quum hae literae adlatae, forte Nabdalsa, exercito corpore fessus, in lecto quiescebat; ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam, negotiorum curator, fidus acceptusque, et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas literas audivit, ex consuetudine ratus, opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introiit; dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit: dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paullo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta erat, cognovit: primo indicem persequi conatus: postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit; dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa: lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex, aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post

---

Cap. LXXI. *ex consuetudine ratus.* Ante praepositionem *ex* Ald. et Gryph. maior et Ingolst. addunt *et*, quam recepit Gerlachius. Omiserunt eam Gryph. minor, Putschius, Corte, Haverc. Quodsi receperis, tunc *ratus* positum pro *ratus est.* Cf. cap. 75. *Nam rati, sese diis curae esse*, et sic saepius. Vide indicem.

*uti acta erat, cognovit.* Et utraque Gryphiana et Ingolst. et Putschius: *uti a. e., ex perfugis cogn.* quae recepit Gerl., uncisque inclusit. Sed si vel ad unum omnes ea codices haberent, eiicienda tamen forent, propterea quod eorum nullus est sensus. Nam librariis, qui alicubi scripserant formulam: *ex perfugis cognovit*, (v. init. cap. 73.) ubicumque deinde scribendum erat v. *cognovit*, facile memoria suppeditabat reliqua addere. Ceterum h. l. al. l. *ex servis*, uti Ald. al. *ex suis.*

Cap. LXXII. *placide respondit.* Ceterum de Nabdalsa nihil amplius in Sallustio occurrit. — Ad sequentis periodi initium supplenda coni. *Nam*, quae saepius omittitur in Sal. — *iram oppresserat*, i. e. occultaverat, sc. quam animo habebat.

*ne qua — oriretur*, si viderent, regem magis aequo iratum. — Ad initium sequentium post *Neque* supple: *tamen.*

et aliquanto numero hostium potiti: nam ferme Numidas in omnibus praeliis magis pedes, quam arma, tutati sunt.

LXXV. Ea fuga Iugurtha, impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit. Id oppidum magnum atque opulentum; ibique plerique thesauri, filiorumque eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello comperta sunt, quamquam inter Thalam flumenque proximum, in spatio millium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat; tamen, spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret, omnis asperitates supervadere, ac naturam etiam vincere adgreditur. Igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres modo et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris quam plurimum potest domiti pecoris; eoque imponit vasa cuiusque modi,

---

*mani sign. et arm. aliqu. numero, hostium paucorum potiti.* Nostram utraque Gryphiana et Putschius, atque Ingolstadiensis etiam, nisi quod haec post v. hostium *paucorum* addit, scholion quo explicetur *aliquanto numero.* Ceterum facta est mutatio constructionis in casu, ut saepius apud nostrum.

*magis pedes, quam arma, tutati sunt.* Sic Ald. et utraque Gryph. Putschius: *tuta sunt.* Corte et Gerl. *tutata sunt.* Ingolstadiensis: *nam ferme in omnibus praeliis Numidis magis pedes, quam arma curata sunt;* atque *Numidis* etiam habet Tegernseeensis apud Harlessium; paene ut non dubitem hanc lectionem receptae praeferre.

Cap. LXXV. *impensius modo* possit esse: praeter modum, magis iusto, quemadmodum quidam cepisse videntur. Sed rectius *modo* in antiquis quibusdam, accentu posito, adverbialiter dictum accipitur, ut sit i. q. *tantum: der jetzt nur von gänzlichem Misstrauen gegen sein Glück beherrscht wurde.* Sic paullo post: *Ceterum utres modo* etc. et ad finem cap., de aqua: *ut ea modo exercitui satis foret.* cap. 76.: *oppido modo potiti,* et 78. *lingua modo conversa.*

*pervenit. Id oppidum magnum atque opulentum; ibique plerique th.* Ita Ald. et Gryph. maior et Ingolst., quae lectio multorum codicum auctoritate stabilitur. Sed minor: *pervenit, in oppidum m. a. o., ubi pl. th.,* quam lectionem et Putschius habet, et Cort. et cum Haverc. Gerl. recepit. — *filiorumque eius multus p. cultus:* und der ansehnliche Hofstaat seiner jungen Söhne.

*spe patrandi belli*, i. e. finiendi.

*eoque imponit vasa.* Gerl. cum Haverc. *eo imponit v.*

sed pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dediderant, quam plurimum quisque aquae portaret; diem locumque, ubi praesto forent, praedicit. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam esse supra diximus, iumenta onerat; eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt; tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior, quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis usi: eaque res multum animis eorum addiderat; nam rati, sese diis immortalibus curae esse. Deinde postero die, contra opinionem Iugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex, nihil iam Metello infectum credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit: neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus, simulabat, sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat; nam talia consilia per otium et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos praelio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo fossaque moenia circumvenit. Deinde iubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere,

*Metello dediderant.* Gerl. cum Cortio et Haverc. *Metello dederant.*

*ubi praesto forent.* Cortius: *fuerint.* Gerlachius: *fuerit.*

*spe amplior*, copiosior, quam speraverant.

*animis eorum addiderat*, scil. quod pluvia mitteretur. Plusquamperf., ut saepe, pro perfecto aut imperfecto. Sed Putsch., Corte, Gerl. legunt: *addidit.*

Cap. LXXVI. *Metello infectum.* Corte, Haverc., Gerl. *infectum Metello*, uti et Ingolst. — *arma, tela, locos.* Ingolst. *arma, tela, equos, locos.*

*Deinde iubet locis.* Ingolst. *Deinde iubet duobus locis.* Cod. Erlangensis: *Deinde duobus locis iubet.*

[superque eas] aggerem iacere; et impositis super aggerem turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore praeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda omnis a perfugis corrupta est. Ii postquam murum arietibus feriri resque suas adflictas vident, aurum argentumque et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi, vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt; et, quas victi ab hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere; advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent; id ni festinaret, in summo periculo suam salu-

---

*vineas agere.* Aggere, vinea, turribus oppugnabantur oppida. Cf. Cic. ep. Fam. XV, 4. Caes. B. G. II, 12., ubi ait: *celeriter vineis ad oppidum actis, aggere iacto, turribusque constitutis.* Nempe vinea erat machina, circiter 16 pedes longa, 7 alta, 8 lata, ligneo tecto operta, quo tuti essent, qui ad murum diruendi causa accedebant. Ea machina agebatur, i. e. admovebatur muro hostium. Agger autem iaciebatur s. egerebatur propius murum, vel eandem ob causam, quo tutius agerent milites, vel aequandi muri ergo, ut eius ope transcendere eum milites possent, (cf. Liv. 43, 19.); diversusque erat a vallo fossaque, quibus omne oppidum circumdatum erat. Putandus autem est agger iactus esse prope vineam, in eoque aggere imposita turris, quo altior emineret, meliusque aequaret muri altitudinem. Nusquam enim legitur agger superiniectus esse vineae. Sed Gryphiana maior h. l. habet: *superque aggerem iacere, impositis et super aggerem turribus opus et administros* (Gr. min. *ministros*) *tutari*; ibique *super* potest esse i. q. praeterea, aut propter, s. prope eas. Sed Harlessii codices et Ingolst. et Putschius. Haverc. que habent: *superque eas* (i. e. vineas) *agg. i.* et Gerl. verba *superque eas* recepta uncis inclusit. Cortius omisit.

*a perfugis corrupta est*, sc. igne: sie wurde vernichtet. Ingolst., Putsch., Cort., Hav., Gerl. omisere v. *est.* — Iidem paullo post: *aurum atque argentum.*

Cap. LXXVII. *id ni festinaret.* Putsch., Cort., Hav., Gerl. *ni id fest.*

tem, et illorum socios fore. Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino, Metelloque imperata gnaviter fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, adepti. Missae eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius praefectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus, profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos venisse: ceterum situm inter duas Syrtes, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praealta sunt; cetera, uti fors tulit, alias alta, alias intempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et saevire coepit ventis, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies loco-

---

*suam salutem*, i. e. Leptitanorum; *et illorum socios*, sc. ipsorum Leptitanorum socios. Pronomen enim *ille*, *a*, *ud*, saepe usurpatur ab Sallustio pro: *is*, *ea*, *id*, et hoc interdum pro possessivo *suus*, *a*, *um*, ponitur. Sic h. l. *et illorum socios* i. e. q. suosque socios. — Copulam *et*, quam habent Ald., Gryph. maior, Ingolst., et cod. Tegerns., omittunt Putschius, Cort., Gerl.

*gnaviter fecerant.* Ita Gryph. utraque et Ingolst. Sed Putsch. et Cort. *navi*, i. e. gnavi, Haverc. et Gerl. *nave.*

*Missae eo cohortes.* Putsch., Cort., Hav., Gerl. *emissae eo c.* Illud Gryph. utr. et Ingolst.

Cap. LXXVIII. *nomen ex re inditum*, nimirum a trahendo, Gr. *σύρειν*, quia huc illuc trahitur arena.

*proxuma terrae praealta sunt*, h. e. ea maris pars, quae proxima est terrae, praealta est.

*alias alta, alias intempestate vadosa.* Antiquam hanc et verissimam lectionem Gryphiana minor ad marginem habet adscriptam ex codice vetusto; quae quo iure potuerit reiici, non perspicio. Melior certe est reliquis omnibus. *Intempestate* autem, probum verbum, recte habet Gryph. maior, et legitur in Plinio, XVIII, 6. — Ceterum Gryph. maior: *cetera, uti fors tulit, alta, alia intempestate vadosa.* Minor et Ingolst. eadem, nisi quod disiungunt: *in tempestate.* Item Putsch., Corte, Haverc. — Sed Gerl. *alta alia, alia in tempestate v.* At non hoc vult, alia esse alta, alia vadosa, verum potius: eadem modo alta esse, modo, orta tempestate, vadosa. — *coepit ventis.* Putsch., Cort., Hav., Gerl. *ventis coepit.*

rum cum ventis simul mutatur. Syrtes ab tractu nominatae. Eius civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum: legum cultusque pleraque Sidonica; quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur, egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare; eam rem nos locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie: neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes, saepe fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum adtriverant; veriti, ne mox victos victoresque defessos alius adgrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. Id socordiane, an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus, atque in mari, retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea, magna vi

---

*Syrtes — nominatae.* Haec verba, quia in quibusdam libris desunt, omisere Cort. et Haverc. — Gerlachius recepit.

*lingua modo conversa*, h. e. lingua tantum; nonnisi lingua propter consuetudinem cum Numidis est immutata.

Cap. LXXIX. *egregium atque mirabile.* Gryph. utraque et Putschius: *egr. atque memorabile.* Nescio an non optime Ingolstadiensis: *egr. atque miserabile*, quae l. et adscripta est ad marginem Gryph. minoris.

*maturavere iter pergere.* Ingolst. et margo minoris Gryph. *m. i. peragere.*

*loca nuda gignentium*, h. e. ubi non sunt gignentia, (Gr. *φυτά*,) nullae arbores etc. Conferendus hic est locus cap. 93.: *quo cuncta gignentium natura fert;* gignentia pro crescentibus aut genitis accipienda, ut *volentia* pro cupitis.

agitata, ora oculosque implere solet: ita prospectu impedito morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores sese vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt; criminari Carthaginienses ante tempus domo digressos; conturbare rem: denique omnia malle, quam victi abire. Sed quum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, ut vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni, conditione probata, seque vitamque suam reipublicae condonavere: ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores constituti. Nunc ad rem redeo.

LXXX. Iugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit, ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit; quîs adiutoribus regem adgressus impellit, uti advorsum Romanos bellum incipiat. Id ea gratia facilius procliviusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum; quam rem, opportunissumam incepto [bello], pauci impediverant, caeci avaritia, quîs

---

*Graeci optionem Carth. faciunt:* Cyrenenses (ii enim Graeca origine fuerunt; v. cap. 19) Carthaginiensibus proponunt optionem.

*domi honores constituti.* Sic Gryph. maior. Sed Gryph. min. Ingolst., Putsch., Cort., Hav., Gerl: *instituti.* Popma contendit, veram esse: *aliosque domi honores instituêre.*

Cap. LXXX. *regis Bocchi proximos,* i. e. ministros, amicos.

*facilius procliviusque fuit,* sc. ut regem Bocchum sibi adiungeret. — Putschius reliquique: *facilius proniusque fuit.* Nostrum Gryphianae et Ingolst.

*opportunissimam incepto [bello].* Vocem *bello* addunt Gryphianae et Ing. — Putschius habet *belli*, quod in omnibus manu scriptis vidisse se testatur Rivius. Corte: *bello*, item Ha-

omnia honesta atque inhonesta vendere, mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet; pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt: ibi, fide data et accepta, Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse: eamdem illos caussam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi; quis omnia regna advorsa sint: tum sese, paullo ante Carthaginienses, item regem Persen; post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis, ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod

---

vere. — Gerlachius autem inclusit; et sane videtur aptius abesse, quia et in praecedentibus legitur, et *inceptum* per sese substantivum est.

*Iugurthae filia Bocchi nupserat.* Non muto lectionem ab recentioribus receptam propter Plutarchi Florique testimonium, qui uterque Iugurtham Bocchi generum fuisse memorant. Verum et plerique codices et edd. Gryphianae cum Ald. et Ingolst. non genitivum habent, sed dativum: *Boccho.* Et sane huic omni loco magis consentaneum esse videtur, in Bocchi γυναικείῳ fuisse Iugurthae filiolam, quam in Iugurthae Bocchi. Nam refertur hoc inter momenta gratiae Iugurthae apud Bocchum, quod Bocchus habuerit in matrimonio filiam Iugurthae. Additur tamen, eam rem plerumque non magni momenti esse in polygamia, ubi pariter omnes viles sint. Sin Iugurtha habuisset filiam Bocchi, in manu Iugurthae fuisset, hac re uti, ad gratiam Bocchi sibi firmandam. Neutiquam certe vilem eam habuisset, neque hoc debuisset addere auctor. Denique scriptorem ipsum puto vitaturum fuisse huiusmodi amphiboliam in verbis, usumque alia dicendi forma, si Iugurtham generum voluisset scribere.

Cap. LXXXI. *quis omnia regna adversa sint:* h. e. Romanos nullos reges posse pati. — *tum sese,* h. e. hoc ipso tempore se, i. e. Iugurtham, sc. ab iis bello infestari.

*regem Persen,* Macedoniae, qui a Paullo Aemilio devictus est. V. Liv. libro 45. — Ceterum haec Iugurthae oratio plane similis est epistolae Mithridatis ad Arsacem regem, quae legitur in fragmentis ex libris Sallustii Historiarum.

ibi Q. Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus, aut, capta urbe, operae pretium fore, aut, si dux Romanus auxilio suis venisset, praelio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

LXXXII. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere, neque, uti saepe iam victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, castris munitis, reges opperitur; melius esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam; nam Consulem factum, ante acceperat. Quibus rebus supra bonum atque honestum perculsus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vertebant; alii, bonum ingenium contumelia accensum esse: multi, quod iam parta victoria ex manibus eriperetur; nobis satis cognitum est, illum magis honore Marii, quam iniuria sua excruciatum; neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii, quam Mario, traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit, postulatum, ne sine caussa hostis

---

*quod ibi Q. Metellus.* Praenomen habent Gryphianae, Ingolst. et Putschius; deest apud Cortium, Haverc., Gerl.

*operae pretium fore.* Vox *operae* deest in Havercampio et Gerl., habent Gryph. utraque, Putschius, Corte. Dubitavit, an delenda esset, Aldus. Idem tamen testatur fuisse in Fulvii Ursini libro. Unde reposui.

*aut si dux Romanus.* Vocem *dux* habet Gryph. maior et Ingolst. — Cod. Erlang. *dux Romanorum.* Reliqui et Gerl. omittunt.

Cap. LXXXII. *non temere — facit*, h. e. cautius versatur. — *ceterum* hoc loco i. e. q. *itaque.* — *ex commodo*, i. e. loco sibi opportuno.

*Quibus rebus.* Corte, Gerl: *quis rebus.*

*neque tam anxie laturum f.* Simili sensu adi. *anxius* occurrit cap. 65. *Hunc Marius anxium aggreditur*, i. e. sollicitum.

populo Romano fieret: habere eum magnam copiam societatis amicitiaeque coniungendae, quae potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare: omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere: non in eiusdem potestate initium eius et finem esse: incipere cuivis, etiam ignavo, licere; deponi, quum victores velint; proinde sibi regnoque suo consuleret, neu florentis res suas cum Iugurthae perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit: sese pacem cupere, sed Iugurthae fortunarum misereri; si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuncios mittit; ille probare partim, alia abnuere. Eo modo, saepe ab utroque missis remissisque nunciis, tempus procedere, et ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe Consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit, antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare: singulos modo, modo universos laedere: dictitare, sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia praeterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque arcessere: praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiae, paucos fama cognitos accire, et ambiundo cogere homines

---

Cap. LXXXIII. *habere eum magnam copiam.* Gryph. maior et Ingolst.: *habere tum m. c.*, quod recepit Gerl. — *eum* Gryph. minor, Putschius, Corte, Haverc., quos sum secutus, ideo quod sequitur comparatio societatis cum bello, non huius temporis cum alio tempore. — Pro *copiam* Ingolst. *opportunitatem.*

*deponi, cum victores velint.* Admisi lectionem Gryphianae minoris, quam habent Putsch., Cort., Gerl. Ceterum Gr. maior atque Ingolst.: *non deponi, nisi cum v. v.*

*si eadem illi copia fieret*, sc. societatis amicitiaeque cum pop. Rom. iungendae. — *ille probare partim.* ille, sc. imperator, neutiquam Bocchus.

Cap. LXXXIV. *plerosque militiae.* Lectio *militiae* est ex codice antiquo Fulvii Ursini, unde eam receperunt Gryphiana minor, Cortius et Gerl. Nam Gryph. maior, Ingolst., Putschius, Haverc. habent *militia.*

emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi Senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum supplementum etiam laetus decreverat: quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque praeda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia huiuscemodi, animis trahebant: et eos non paullum oratione sua Marius arrexerat. Nam postquam, omnibus, quae postulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi causa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit; deinde hoc modo disseruit:

LXXXV. „Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse, deinde per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra videtur. Nam quo pluris universa respublica, quam consulatus aut praetura, eo maiore cura illam administrari, quam haec peti debere. Ne-

---

*neque plebi militia volenti putabatur*, sc. esse, h. e. militia non putabatur plebi ex voluntate esse. Haec ita constituta primus, monitu quamquam Ciacconii, exhibuit Putschius, et quidem ex Prisciani lectione, qui haec habet: *Demosthenes: εἰ βουλομένοις ἦ τούτου ἀκούσιν. Sallustius Iugurthino bello: Neque plebi militia volenti putabatur*; qui sine dubio noster locus est. Similiter cap. 100.: *uti militibus labos volentibus esset.* Cf. Tacit. Agric. 18.: *quibus bellum volentibus erat.* Macrob. Saturn. II, 9.: *si vobis volentibus erit.* Dionys. Hal. Ant. Rom. IV, 11.: *εἰ ὑμῖν ταῦτα βουλομένοις ἐστίν.* et ib. cap. 42.: *οἷς οὖν ἦν βουλομένοις, Τύλλιον ἐκπεσεῖν τῆς ἀρχῆς*, et sic saepius. Cf. Iug. 73. Antiquarum tamen editionum lectio, et Gryphianarum quoque Ingolstadiensisque est: *quia, neque plebe militiam volente, putabatur Marius aut belli usum, a. st. v. am.*, quemadmodum et plerique codices apud Gerl. — *belli usum* Strombeckius vertit: *den Bedarf des Krieges*, ut intelligendum sit ipsum illud supplementum, quo usus, i. e. opus erat. V. cap. 89. med. — Ceterum coniunctio *et* ante *Marius*, a Putschio addita, omitti etiam possit, ex frequenti auctoris consuetudine.

*sese quisque.* Cf. Cat. cap. 7. *sic se quisque* etc.

Cap. LXXXV. *Sed mihi contra videtur.* Sic utraque Gryphiana cum Ingolst. et Putschio. — Cortius: *s. m. c. ea vid.*, uti et Gerl.

que me fallit, quantum cum vestro maxumo beneficio negotii sustineam. Bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me conversa esse: aequos bonosque favere: quippe mea benefacta reipublicae procedunt; nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula consueta habeam. Quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere: mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis; quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit: si quem ex illo globo

---

*cum vestro max. beneficio.* Gerl. *cum max. vestro benef.*

*cogere ad mil.* i. e. colligere, convocare, conscribere.

*quippe mea benefacta reipubl. procedunt.* Gryphiana maior: *quippe beneficia mea remp. procedunt.* Ingolst.: *quippe mea benefacta in remp. praecedunt, nobilitatem invadendi me quaerere locum.* Nostram Gerl. ex Gryph. min. et Putschio Cortioque. Sensus: quia vident, quae ego facio, omnia ex vera utilitate esse reipublicae, quum alii suae quam maxime gloriae aut divitiis studeant. — *invadendi,* Ingolst.: *invadendi me,* uti et fere Erlangensis cod.

*temperare,* i. e. modum servare.

*in naturam vertit,* i. e. altera natura facta est, activo neutraliter aut passive usurpato. Gryph. maior: *vertitur;* minor: *verti,* Ingolst.: *venit.*

*num id mutari melius sit; si quem.* Gryph. mai. *ecquem.* Sensus est: reputate, an sit praeferendus nobilis homo (si quem — — — prius est.) mihi (Comparate nunc — — militando.)

nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum, et nullius stipendii; scilicet, ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Ita plerumque evenit, ut, quem vos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. Atque ego scio, Quirites, qui, postquam Consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperint; praeposteri homines. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, me hominem novum cum illorum superbia. Quae illi audire et legere solent, eorum partim vidi, alia egomet gessi: quae illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam; mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosum esse. Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quodsi iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, ut mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum, homines corrupti superbia, ita aetatem agunt, quasi vestros

---

*trepidet*, i. e. incertus consilii huc illuc cursitet.

*Atque ego scio.* Sic Gerl. cum Gryph. minore. Maior: *Atque e. sc.* Ingolst., Putsch., Cort.: *At ego scio.*

*Nam gerere*, sc. consulatum, *quam fieri*, sc. consulem. — *prius est*, i. e. prius esse debet. Antequam fias, gerendis iam negotiis te idoneum magistratui probavisse oportet.

*me hominem novum cum illorum superbia.* Sic Gryphianae cum Ingolst. At Putschius, Corte, Gerl. *cum ill. sup. me h. n.*

*ea ego didici militando.* Plerique a Putschio: *ea ego militando didici.*

*fortissimum quemque generosum esse.* Haec ita exhibet Gryphiana minor cum Ingolstadiensi. Maior *generosissimum*, omisso *esse*, quod addit Putschius. Maiorem sequitur Gerl. similisque constructio occurrit cap. 86.: *egentissimus quisque opportunissimus.*

honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter expetant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Atque etiam, quum apud vos aut in senatu verba faciunt, pleráque oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant. Quod contra est. Nam quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: maiorum gloria posteris quasi lumen est; neque bona neque mala eorum in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites; verum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est; quam certe peperisse, quam acceptam corrupisse, melius est. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore. Sed in maxumo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi mei sententia, laedere nulla oratio potest: quippe vera, necesse est bene praedicet; falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num eorum poenitendum sit. Non possum fidei caussa imagines neque triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices advorso corpore. Hae sunt

---

*ita aetatem agunt*, i. e. ita vivunt, eos mores habent.

*qui diversissimas res pariter expetant.* Ita Gryphianae et Ingolst. Sed Putschius et Gerl. *exspectant.* Liquet, non esse locum communem, quum neque pron. *illi* sit determinativum, sed relativum. Verte: O wie sehr täuschen sich doch diese, da sie etc.

*peperisse, quam acceptam corrupiss melius est.* Putsch., Corte, Gerl.: *peperisse melius est, qu a. c.*

*ne quis modestiam in consc. duc.*, i. e. ne quis modestiam meam ita interpretetur, ut existimet, memet conscium mihi esse, quae illi dictitent, esse vera.

nicae imagines, haec mea nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, sed quae ego plurimis meis laboribus et periculis quaesivi. Non sunt composita verba mea: parvi id facio; ipsa se virtus satis ostendit; illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa, multo optuma reipublicae, doctus sum: hostem ferire, praesidia agitare; nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem et aestatem iuxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor: neque illos arcte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque, quum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Haec atque talia maiores vestri faciundo seque et rempublicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit, et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi procul errant. Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt: quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo; quae mihi lubet confiteri, Quirites. Nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem conve-

---

*laedere nulla oratio potest.* Putsch., Corte, Gerl. *nulla or. l. p.* — *haec mea nobilitas.* Gerl. *haec nobilitas.* — *plurimis meis lab.* Gerl. *meis pl. lab.* — *parvi id facio.* Gerl. *parum id f.* — *doctoribus nihil profuerant.* Gryph. min., Putsch., Cort., Gerl. *profuerunt.* Illud Gryph. maior, Ingolst. et cod. Erlangensis.

*Haec atque talia.* Sic Ingolst., Putsch., Cort., Gerl. — Gryph. utraque: *Haec atque alia*, ut paullo infra. — *seque et remp.* Gerl., Putsch., Cort.: *seque remque publicam.*

*neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo.* Apud opulentiores inter Romanos coquus longe maioris pretii erat, quam villicus, h. e. oeconomus, qui villam curabat.

nire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum esse; arma, non suppellectilem decori esse. Quin ergo quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant, ament, potent; ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissumae parti corporis: sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se flagitiis dedecoravere, turpissumi viri bonorum praemia ereptum eunt. Ita iniustissume luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obficiunt; reipublicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi, [pauca] de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam atque superbiam. Deinde exercitus ibi est locorum sciens, sed mehercule magis strenuus, quam felix. Nam magna pars eius avaritia aut temeritate ducum adtrita est. Quamobrem vos, quibus militaris est aetas, adnitimini mecum et capessite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in praelio, consultor idem et socius periculi, vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto, diis iuvantibus, omnia matura sunt, victoria, praeda, laus; quae si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire decebat. Etenim nemo ignavia immortalis factus est: neque quisquam parens liberis, uti

---

*respondi, pauca de rep. loquar.* Ita Gryphianae et Ingolstadiensis et Putschius. Sed Gerl.: *pauca respondi, de republica loquar.* Mihi omnis vox *pauca* suspecta est. Ceterum simile quid occurrit in oratione Bocchi ad Syllam cap. 110.

*de Numidia bonum hab. an. Qu.* Gryph. maior: *bonum habetote de Numidia animum.*

*militaris est aetas* Gryphiana cum Ingolst. Contra Gerl. cum Putschio: *aetas est.*

*ex calamitate aliorum*, sc. commilitonum, qui ducum delictis in Numidia periere.

*iuxta geram*, i. e. parem me vobis esse ducam.

*Etenim nemo ignavia.* Corte, Gerl.: *E. ig. n.*

*neque quisquam parens liberis* etc. Hic omnis locus ex Pla-

aeterni forent, optavit; magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto."

LXXXVI. Huiuscemodi oratione habita, Marius postquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus navis onerat: cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maiorum, neque ex classibus, sed uti cuiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant: quod ab eo genere celebratus auctusque erat, et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus, cui neque sua curae, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. Igitur Marius, cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus, paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato; nam Metellus conspectum Marii fugerat, ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed Consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur: omnia ibi capta militibus donat; dein castella et oppida natura et viris parum munita adgreditur: praelia multa, ceterum alia levia aliis locis facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse:

---

tonis Menexeno videtur esse depromtus, ubi cap. 20 haec leguntur: οὐ γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας εὔχονται γενέσθαι, ἀλλ' ἀγαθοὺς καὶ εὐκλεεῖς. Haec autem addit, ut ad fortitudinem cives cohortetur, sicut aptum in perorando.

Cap. LXXXVI. *A. Manlium.* Manilium dicit Plinius XXXIII. cap. 1.

*capite censos*, i. e. pauperes, qui non re familiari, sed capite solum censebantur. Cf. Gellius XVI, 10. ubi hic ipse locus adducitur.

*omnia cum pretio honesta videntur*, h. e. si modo pretium accedat, omnia facere decretum est.

Cap. LXXXVII. *cohortibusque auxiliariis*, h. e. non Romanis, sed sociorum, e. c. Ligurum, ut cap. 93.

*ceterum alia levia aliis locis facere.* Distinguuntur haec levia a proeliis gravioribus ad oppida factis. Consentiunt autem omnes in hac lectione, praeter Havercampium, qui, Ciacconium secutus, legit: *ceterum levia, alia aliis locis f.*

videre, fugientes capi aut occidi; fortissumum quemque tutissimum: armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficiles abeunt. Ita Iugurthae placuerat, speranti, mox effusos hostes invadi posse: Romanos, sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus, contra spem suam laetissumis animis excipitur, plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter adtendere; cognoscere, quid boni utrisque aut contra esset; explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire: nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos et Iugurtham, ex sociis nostris praedas agentes, saepe adgressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit, statuit urbes, quae viris aut loco pro hostibus, et advorsum se opportunissumae erant, singulas circumvenire: ita [ratus] Iugurtham aut praesidiis nudatum [iri], si ea pateretur, aut praelio

---

*capi aut occidi.* Sic Gryphianae cum Ingolst. et Putschio et plerisque codd. Sed Cortius *aut* omisit, quem sequitur Gerl.

*laxius lic. futuros*, i. e. sese gesturos.

Cap. LXXXVIII. *Sed Marius.* Ingolst. *Sed et Marius*, quod videtur praeferendum. — *quid boni utrisque aut contra esset*, accurate examinabat, in quibus rebus aut sui, aut hostes vel valerent aliquid, vel debiliores essent. Ingolst.: *quid utrinque boni, aut contra esset.* Haud male.

*armis exuerat*, h. e. fecerat, ut, abiectis armis, fugam capesseret.

*belli patrandi*, i. e. finiendi. Sic cap. 70. *incepta patrandi*, et 75. *patrandi belli.* Genitivus pendet ab omisso *rem.* — Ingolstadiensis legit hoc loco: *Quae postquam gloriosa facta sunt, neque belli patrandi copiam cognovit*, uti et cod. Tegerns. et Erl. fere. Vocem *copiam* et habet Gryph. maior. Nostram lect. minor, Putsch., Corte, Gerl. ex Prisciano, qui citat h. l. libro XVIII.

*urbes — circumvenire*, ut saepius, pro: obsidere.

*ita ratus Iug. aut praesidiis nudatum iri.* In Putschio desi-

certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum saepe miserat, velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior accideret, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

LXXXIX. Sed Consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire: partim vi, alia metu aut praemia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans, Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et magis aspera adgredi tempus visum est. Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa: cuius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi habebantur: muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus: quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perniciosa, siti

---

derantur voces *ratus* et *iri*, quas habent Ald. Gryph. et Ingolst.— Putschium sequitur Cort., Hav., Gerl. ob grammatici veteris testimonium, in quo illae omittuntur.

*quo improvisus gravior accideret*, h. e. ingrueret. Ald. Gryph. utraque et Ingolst.: *accederet*. Illud ex Ciacconii sententia, quem sequitur Putsch., Cort., Gerl. — Postrema capitis Ingolst. hoc modo: *an mobilitate ingenii, parum exploratum est. Nam pacem atque bellum mutare solitus erat.*

Cap. LXXXIX. *in manus venturum*, h. e. proelium commissurum. Graeca locutio: *εἰς χεῖρας ἰέναι*, cf. Dionys. Halic. V, 15. Herodot. 8, 89. 9, 48.

*Hercules Libys*, h. e. Aegyptius. Herodot. II, 43. Multi enim fuerunt Hercules, quorum Varro XLIV. nominat, ut Herc. Tyrius, Sancus etc.

*levi imperio*, i. e. *leni*, quod habet Gryph. minor. Maior et Ingolst. *levi*.

*infesta serpentibus*, i. e. infestata. Nam *infestus* utrumque significare potest, et quod infestat et quod infestatur, teste Gellio IX, 12. Alii explicant: infesta hominibus propter serpentes. — *quarum vis*. Gerl. *quorum*. Sed illud Gryphianae, Ingolst., Putsch., Corte, Hav.

magis, quam alia re accenditur. Eius oppidi potiundi Marium maxuma cupido invaserat: quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur; et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque: nisi quod apud Thalam non longe a moenibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, iugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique et in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina vescebantur, et neque salem neque alia gulae irritamenta quaerebant: cibus potusque illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.

XC. Igitur Consul, omnibus exploratis, (credo, diis fretus; nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat; quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis quam arvo student, et, quodcumque natum fuerat, iussu regis in loca munita contulerant; ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate; nam aetatis extremum erat;) tamen pro rei copia satis providenter exornat; pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit; A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire iubet, dicitque,

---

*Eius oppidi potiundi.* Vocem *oppidi* omittunt Putschius, Corte, Hav., Gerl. — habent Gryphianae et Ingolst. — *oppidum Thalam;* cf. cap. 75. — *iugis aqua* i. e. q. perennis, ἀέναος. V. Hor. ep. I, 1, 15.

*lacte et ferina vescebantur.* Putschius addidit: ferina *carne*, quem sequuntur Cort., Hav., Gerl.

*gulae irritamenta.* Putsch., Gerl. *irritamenta gulae.*

*cibus potusque illis.* Putsch., Cort., Hav., Gerl. omisere *potusque*, habet Gryph. minor, notato ad marginem, illud in quibusdam desiderari.

Cap. XC. *omnibus exploratis.* Cf. Cat. 17.

*credo, diis fretus.* Longiorem parenthesin Putschius a v. *nam contra* demum orditur; claudit, ubi nos. Cortius et Gerl. nullos uncos ponunt, neque Gryph. maior. Minor includit: *nam contra — non poterat* et: *nam aestatis extremum erat.* Item Ingolst.

*ager autem aridus.* Coni. *autem* h. l. minime habet vim adversativam, sed i. e. q. *agerque ideo.*

se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato, pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas, aequaliter distribuerat; et ex coriis utres uti fierent, curabat; simul et inopiam frumenti lenire, et, ignaris omnibus, parare, quae mox usui forent; denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet: omnibus abiectis sarcinis, aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit; idem proxuma facit: dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumulosum, a Capsa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi: repente omnem equitatum, et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere iubet: deinde ipse intentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognovere, res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, coegere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum: Numidae puberes interfecti; alii omnes venum dati: praeda militibus divisa. Id facinus contra ius belli, non avaritia neque scelere Consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum ante, neque beneficio neque metu coercitum.

XCII. Postquam tantam rem peregit Marius, sine

---

Cap. XCI. *simul et inopiam* etc. scil. carnibus distribuendis, quae et frumenti inopiam leniebant, et utres dabant, aquae portandae.

*omnibus abiectis sarcinis* in Gryph. minori est, et praeferendum videtur vulgatae: *omn. sarcinis abiectis*, quam habet Gerl.

*in hostium potestate.* Popma in duobus codd. scriptum invenit: *in hostium deprehensa potestate*, haud spernenda lectione.

*contra ius belli*, quia dediderant sese Capsenses.

Cap. XCII. *Postquam tantam rem peregit M.* ex Gryphiana

ullo suorum incommodo; magnus et clarus antea, maior atque clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur: milites, modesto imperio habiti, simul et locupletes, ad coelum ferre; Numidae magis, quam mortalem, timere; postremo omnes socii atque hostes credere, illi aut mentem divinam esse, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed Consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca repugnantibus Numidis capit; plura deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit: luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem adgreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto: nam omnis, naturâ, velut opere atque consulto, praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio, melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis et frumenti et fons aquae; aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, utrim-

---

maiori et Ingolst., quum minor *peregit* post *incommodo* collocet, Putschius et Gerl. *patravit* legant, item post *incommodo* collocatum.

*mentem divinam*, i. e. divinatoriam, divinandi peritam. Cf. Corn. Att 9.

*regnum disiungebat.* Gryph. mai. et Ingolst. *dividebat.*

*in immensum.* Occurrit haec dictio et cap. 48. videturque quasi proverbialis.

*forte quam consilio, melius gesta.* Hinc etiam cap. 94. in fine, temeritatem Marii, qui susceperit oppidi oppugnationem, forte, i. e. fortuna correctam dicit.

*magna vis et frumenti et fons aquae.* Voluit proprie dicere *et aquae*, sed, quo perspicuum magis fieret, addidit v. *fons*, unde quodammodo excidit constructione. Hinc τὸ *et* ante *frumenti*, quod omittit Cortius, probe potest retineri. Ceterum hunc omnem locum antiquae ita interpungunt: *Nam cast. viror. atque arm. satis magna vis, et frumenti: et fons aquae.*

que praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur; nam quum eae paullo processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere consistere, propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare: optumus quisque cadere aut sauciari; ceteris metus augeri.

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat. Quae quum multos dies noctesque aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod adversum praeliantibus erat, animadvertit inter saxa repentes cochleas; quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humanae cupidinis ignara visundi, animum advortit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat in-

---

*utrimque praecisum*, h. e. dextra sursum, sinistra deorsum praecipite rupe, seu contra.

*paullo processerant.* Cort., Hav., Gerl. *paullum.*

Cap. XCIII. *prospere usus fuerat* ex Gryph. min., quum maior habeat *erat,* recentiores omnes omittant verbum.

*quod advorsum praeliantibus erat.* Corte, Hav., Gerl. *quod avorsum pr. e.* Sed illud tantum non omnes codices exhibent, licet aperte dictum pro *aversum.* Similis tamen locus est in Velleio II, 63, 1., ubi antiqua lectio: *per adversa castrorum receptus est*, eodem sensu, quo hic.

*more humanae cupidinis ignara visundi, animum advortit.* Haec lectio et per sensum magis reliquis commendatur, et stabilitur testimonio duorum grammaticorum, Nonii Marcelli in v. *ignarus,* et A. Gellii IX, cap. 12., eamque sequitur et Putschius et Gryphiana minor. Maior: *more humani ingenii, cupidus difficilia faciundi, animum advortit.* Ingolstadiensis: *more ingenii humani cupido difficilia faciundi animum vertit.* Corte: *more humani ingenii cupido ignara visundi invadit.* Gerl.: *more ing. hum., cupido difficilia faciundi, animum vortit.* Codices plerique: *animum advertit.* Ceterum difficilia faciundi raro homines cupidine moventur, plerique autem ignota sibi visendi.

*animum advortit*, i. e. circumspicit, an modus aliquis detur ad planitiem enitendi.

ter saxa, paullum modo prona, deinde inflexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit, quod cuncti Numidae intenti praeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eâdem regreditur, non temere, uti adscenderat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit: acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet: pollicetur sese ducem itineris periculique. Marius cum Ligure, promissa eius cognitum, ex praesentibus misit: quorum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem renunciavere. Consulis tamen animus paullulum arrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones, omnisque Liguri parere iubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

XCIV. Sed ubi ex praecepto tempus visum; paratis compositisque omnibus, ad locum pergit. Ceterum

---

*deinde inflexa atque aucta.* Putsch. *dein flexa a. a.* quem sequitur Corte et Gerl.

*cuncta gignentium natura.* Gignentia sunt *τὰ φυτά*, plantae, arbores, vid. cap. 79.

*perscribit*, perdiscit, concipit animo, explorat, notat. Ingolst. *praescribit.* Codex autem Erlangensis: *in castelli planitiem pervenit*, quod et in pluribus aliis se legisse scribit Ciacconius. Nam sine dubio in ipsam planitiem escenderat.

*intenti proeliantibus aderant;* nimirum auxilio erant, sive prope eos erant. Sed Gryph. minor: *aberant.*

*qua ipse escenderat.* Gryph. mai. *ascenderat*, minor et Ingolst.: *descenderat*, quod habent Putsch., Gerl. — *escenderat* Cortius bene.

*ducem itineris periculique.* Putsch., Cort., Gerl. *it. periculique ducem.*

*promissa eius cognitum,* h. e. qui viderent, an vera sint, quae ab illo praedicata fuerant.

*renunciavere. Consulis tamen animus.* Gerl. *nunciavere. Cons. an. tamen*, ex Cortio. Item Ingolst.

*numero quinque.* Ingolst.: *numero quinque millium!* cf. cap. 103: *ex omni copia necessariorum quinque delegit.*

Cap. XCIV. *ad locum pergit*, sc. Ligus cum suis comitibus.

illi, qui ascensuri erant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret; super terga gladii et scuta; verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustae radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus adlevati milites facilius adscenderent; interdum timidos insolentia itineris levare manu: ubi paullo asperior adscensus erat, singulos prae se inermos mittére; deinde ipse cum illorum armis sequi: quae dubia nisu videbantur, potissumus tentare, ac saepius eadem adscendens [descendensque], dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicuti aliis diebus, advorsum hostes aderant. Marius, ubi ex nunciis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos praelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites, et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere, et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae, saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctesque agitare: maledicere Romanis, ac Mario vecordiam obiectare; militibus nostris Iugurthae servitium minari; secundis rebus feroces esse. Interim, omnibus Romanis hostibusque praelio intentis, magna vi utrimque, pro glo-

---

*qui ascensuri erant, praedocti.* Sic habet cod. Erlangensis, quem sequendum duximus. Reliqui omnes: *qui centuriis praeerant, praedocti.*

*si quae vetustae radices.* Sic Ingolst., alii ut Erlang. *veteres.* Reliqui omnes: *vetustate.*

*ascendens descendensque.* Vocem *descendensque* in melioribus pluribus desiderari, scribit Popma. Et sane idem significant, quae sequuntur: *dein statim digrediens*, i. e. degrediens.

*quamquam toto die — habuerat.* Coniunctio *quamquam* non format hoc loco periodum concessivam. Non enim sequitur *tamen.* Sensus potius est: Marius, cum toto die — habuisset, tum vero multo adhuc magis etc.

*item incensis.* Haec a quibusdam codd. absunt.

*magna vi utrinque.* Gerl. *magna utrinque vi.* — *vadere corora.* Putsch., Corte, Gerl. *corpora vadere.*

ria atque imperio his, illis pro salute, certantibus, repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat; postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere ac plerosque tantummodo sauciare: dein super occisorum vadere corpora, avidi gloriae certantes murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit.

XCV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla Quaestor cum magno equitatu in castra venit: qui uti ex Latio et a sociis cogeret exercitum, Romae relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est, de natura cultuque eius paucis dicere. Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla patriciae gentis [nobilis] fuit, familia prope iam exstincta maiorum ignavia, literis Graecis iuxta atque Latinis doctissume eruditus, animo ingenti, cupi-

---

*forte correcta*, fortuna eam corrigente, i. e. in melius vertente. Temeritas autem erat in consilio hoc oppidum expugnandi.

Cap. XCV. *qui uti ex Latio et a s. c. exercitum.* Ita Gryphiana maior et Ingolst. et Erl. codex, aliique. Gr. minor: *exercitum cogeret.* Al. *cogeret auxilia.* Putschius ex quibusdam codd. *quod uti ex L. et a s. cog. Romae rel. er.*, sicuti in Livio saepe ad copias neutrum *quod* refertur, ut supplendum sit: quod genus copiarum. Corte: *quos uti* etc., item Gerl. — Haverc. *qui uti ex L. et a s. cog.*, *R. r. e.*

*de natura cultuque eius*, i. e. qualis fuerit natura, et quomodo educatus quibusque artibus instructus.

*neque enim — dicturi sumus.* Historiarum enim libri ab Sallustio compositi res Romanas ab Sullae morte demum usque ad Caesarem persequebantur.

*Sisenna* (L. Corn.), Historiarum scriptor, bellum Marsicum et Sullanum, senex iam, explicuit. Cf. Vellei. Pat. II, 9. Cic. Brut. 64. Eius operum fragmenta quae extant, vide in fragmentis Historicorum.

*patriciae gentis nobilis.* Servius haec citat omisso verbo *nobilis*, quod et omisit Cortius; habent omnes fere antiquae.

*literis Graecis iuxta atque Latinis doctissime.* Haec lectio ex codice vetusto adnotata est ad marginem Gryphianae minoris, eamque praeferendam duxi vulgatae: *lit. Graecis atque Latinis iuxta atque doctissime eruditus.*

dus voluptatum, sed gloriae cupidior: otio luxurioso esse, tamen ab negotiis numquam voluptas remoratâ; nisi quod de uxore potuit honestius consuli: facundus, callidus, et amicitiâ facilis: ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum ac maxume pecuniae largitor. Atque illi, felicissumo omnium ante civilem victoriam, nunquam super industriam fortuna fuit: multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.

XCVI. Igitur Sulla, uti supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne adpellare: multis rogantibus, aliis per se ipse beneficia dare, invitus accipere; sed ea properantius, quam aes mutuum, reddere, ipse ab nullo repetere: magis id laborare, uti illi quam plurimi deberent: ioca atque seria cum humillumis agere: in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse: neque interim, quod prava ambitio solet, Consulis aut cuiusquam boni famam laedere: tantummodo neque consilio neque manu alium priorem pati: plerosque antevenire. Quîs rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

XCVII. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuncios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret: praelii faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit, et dubium

---

*nisi quod de uxore*. Plures enim habuit, prioribus repudiatis. Cf. Plutarchum Syll. cap. VI. Forsitan tamen hic ad solam Valeriam respicitur; de qua cf. eundem Plut.

*felicissimo omnium*. Nam κατ' ἐξοχὴν Felix appellatus est. — *ante civilem victoriam*, de Mario reportatam. In ea enim et postea minime vere felix fuit praedicandus.

*nunquam super industriam fortuna fuit*, h. e. industria eius artesque bonae aequabant fortunam.

*pudeat magis*. Gerl. omisso *magis*.

Cap. XCVI. *beneficia dare*. Putschius et recc. *dare beneficia*.

*in operibus*, h. e. in munitionibus faciendis.

*alium priorem pati*. Putsch. et reliqui: *priorem alium*.

belli atque pacis rationes trahere: rursus, uti antea, proxumos eius donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae tertiam partem, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo praemio inlectus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto, Marium iam in hiberna proficiscentem, vix decima parte die reliqua, invadunt, rati noctem, quae iam aderat, et victis sibi munimento fore, et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant: contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur simul Consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant; et priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie neque ullo more praelii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt; qui omnes trepidi improviso metu, at tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientes alios ab hostibus defensabant: pars equos escendere, ire obviam hostibus: pugna latrocinio magis, quam praelio, similis fieri: sine signis, sine ordinibus, equites pedites permixti; caedere alios, alios obtruncare; multos, contra advorsos acerrume pugnantes, a tergo circumvenire:

---

Cap. XCVII. *belli atque pacis rationes trahere*, i. e. deliberare, rationibus ponderandis, utrum pacem faceret, an bellum persequeretur.

*tertiam partem*. Cort. et Gerl. *partem tertiam*.

*vix decima parte die reliqua*, *die* pro *diei*, ut saepe apud antiquos. Atque ita hic locus adducitur a Gellio lib. IX. cap. 14.

*at tamen virtutis memores*. Ita Gryph. maior. Minor et Ingolst.: *attamen*. Corte et Gerl. *ac tamen*. Ceterum Popma ex vetusto Canteri libro legi vult: *attamen pristinae virtutis memores*.

*pars equos escendere*, *ire obviam hostibus*. Ita legendum ex Frontone, qui hunc locum sub ipso verbo *escendo* citat. Editiones praeter Putschium omnes: *ascendere*, deinde: *obviam ire h.*

*caedere alios*, *alios obtruncare*. Alterum *alios* sustulit Aldus, ex Fulvii Ursini codicis auctoritate.

*multos contra adversos — circumvenire*, h. e.: Numidae, qui numero plures erant, circumveniebant multos Romanorum, dum ii fortiter contra adversarios pugnabant.

neque virtus, neque arma satis tegere; quod hostes numero plures et undique circumfusi erant; denique Romani veteres novique, et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus, aut magis, quam antea, demisso animo fuit; sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis, quam familiarissumis, paraverat, vagari passim, ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat. Iamque dies consumptus erat, quum tamen barbari nihil remittere; atque, uti reges praeceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos inter se propinquos occupat; quorum in uno, castris parum amplo, fons aquae magnus erat: alter, usui opportunus, quia magna parte editus et praeceps, pauca munimenta quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet. Ipse paullatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit: dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, praelio deterrentur; neque tamen suos longius abire sinunt, sed,

---

*et ob ea scientes belli.* Patet, haec ad veteres esse referenda, quamquam interposito *novique.*

Cap. XCVIII. *invadere; manu.* Haec coniunguntur in Gryphianis et Ingolstadiensi.

*inter se propinquos.* Putsch., Cort., Gerl. *propinquos inter se.*

*pauca munimenta quaerebat:* Haec ita in utraque Gryphiana et Ingolst. Putschius: *pauca munimenta egebat.* Cort., Gerl.: *pauca munimento quaerebat*, ex Gruteri coniectura. Haverc.: *pauco munimento egebat.* Ad marginem minoris Gryphianae: *opportunior, quia magna parte edita et praecipiti, pauca munimenta gerebat.* Illud: *edita et praecipiti* etiam in Ingolst. legitur.

*Ceterum apud aquam*, h. e. in altero colle. Et hic v. *ceterum* plane singulari modo ab Sallustio pro *Itaque* aut simili usurpatur.

*Ipse paullatim dispersos m.* Construe: Ipse paullatim in unum contrahit milites suos, qui dispersi erant, sicuti et hostes non parum erant conturbati.

utroque colle multitudine circumdato, effusi consedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari more suo laetari, exsultare, strepere vocibus: et ipsi duces, feroces, quod non fugerant, pro victoribus [sese] agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu magnoque hortamento erant.

XCIX. Plurimum vero Marius hostium imperitia confirmatus, quam maxumum silentium haberi iubet: ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere: deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et paullo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis tuba canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri atque Gaetuli, ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quidquam poterant; ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formidine, quasi vecordia ceperat. Denique omnes fusi fugatique; arma et signa militaria pleraque capta: pluresque eo praelio, quam omnibus superioribus, interemti. Nam somno et metu insolito impedita fuga.

---

*et ipsi duces feroces*, i. e. reges, Iugurtha Bocchusque. — In sequentibus multum variant lectiones. Gerl.: *et ipsi duces feroces, quia non fugere, atque pro victoribus agere.* Corte: *ipsi d. f., quia non fugerent, pro victoribus agere.* Ingolst. *et ipsi d. f., aut non fugere, aut pro victoribus sese agere.* Gryphianae cum Gerlachio fere faciunt. Quam nos dedimus, depromta est ex margine Gryphianae minoris, ubi haec leguntur: *ipsi reges feroces, ac quod sui non fugerant (al. fugere) pro victorib. sese agere.*

Cap. XCIX. *hostium imperitia.* Putsch., Corte, Gerl. *imperitia hostium.* Confirmatum esse, est i. q. bono animo esse.

*vigiles* ex coniectura Cortii. Nam Gryphianae et Putschius habent *vectigales*, Ingolst. *vestigabiles.*

*simul omnes tuba canere. Tuba* Gryphianae et Ingolst. Sed Putschius ex Ursini libro *signa canere*, quod et Cort., et Gerl.

*tumultu, terrore, formidine.* Ita Gryphianae, et Ingolst. et Putschius. Codd. Teg. et Erl. *t., formidine, terrore*, quod adeo verisimilius. Recentt. *t. terr., formido quasi v. c.* Ceterum sensus est: per tumultum, formidinem, terrorem hostes quasi vecordia invasit.

C. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna proficiscitur, quae propter commeatum in oppidis maritumis agere decreverat; neque tamen victoria secors aut insolens factus; sed, pariter ac in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra parte A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohorte Ligurum, curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis locaverat tribunos. Perfugae [minume cari et] regionum scientissumi, hostium iter explorabant: simul Consul, quasi nullo imposito, omnia providere: apud omnes adesse: laudare, increpare merentis. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat: neque secus, atque si hostes adessent, iter facere; castra munire, excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere: praeterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circuire, non tam diffidentiâ, futura, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum impera-

---

Cap. C. *in hiberna proficiscitur.* Verbum *proficiscitur*, quod reliqui omnes habent, omittit Gerl. cum Cortio.

*apud dextumos.* Antiquos *dextumus* et *sinistumus* dixisse testantur Grammatici, ut Priscianus libro II., ubi hunc ipsum locum adducit.

*praeterea cohorte Ligurum, curabat.* Verissimam hanc l. suppeditant Ald., Gryph. maior et Ingolstadiensis, cum Gryph. minor habeat *cohortes*, quam l. deinde reliqui, et Gerl. etiam secuti sunt. *Curare* est administrare, imperare.

*locaverat tribunos.* Post Putschium plerique: *tribunos locaverat.*

*Perfugae [minime cari et] reg. sc.* Verba *minime cari et* in aliis deesse, ad marginem Gryphianae maioris adnotatur, in minore desunt; recentiores habent.

*quasi nullo imposito*, quasi neminem singulis exercitus partibus praefecisset.

*neque secus atque si hostes adessent.* Gryphiana maior: *neque secus atque iter facere: castra m.*, item Ingolst. Nostram minor, notatis ad marginem: *atque si hostis in conspectu adesset*, et aliâ: *atque iter faceret.* Hanc posteriorem Putschius; Gryphianae maioris Corte, Hav., Gerl. Cuius ego nullum idoneum video sensum. Nam iter ipsum faciebant, et quidem in hiberna; nondum in hibernis ipsis erant.

*non tam diffidentia, futura, qu. i.* Ita Gryph. maior. Minor: *n. t. d. futurorum*, ut et Ingolst. — Putschius: *futuri, quae i.* quod Corte et Gerl. ut *quae* pro *quod* sit positum.

tore labos volentibus esset. Et sane Marius illoque et aliis temporibus Iugurthini belli pudore magis, quam malo, exercitum coercebat: quod multi per ambitionem fieri aiebant; pars, quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset. Nisi tamen res, pariter ac saevissumo imperio, bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta, undique simul speculatores citi sese ostendunt: qua re hostis adesse intellegitur. Sed quia divorsi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant; Consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus, ibidem opperitur. Igitur Iugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partes distribuerat, ratus, ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla,

---

*ut militibus labos volentibus esset*, h. e. ut volente animo laborem subirent; Graeca locutione, inprimis in Dionysio Halicarnassensi crebro obvia: *βουλομένῳ μοι ἐστίν*.

*illoque et aliis temporibus.* Putsch. *illoque aliisque t.* ut et Ingolst. et Gerl. — Corte *illo et aliis t.* — quam *malo*, i. e. poenis. — *per ambitionem*, i. e. ut favorem sibi conciliaret.

*Nisi tamen res — gesta.* Gryph. maior: *n. t. resp. par. ac s. i., b. a. d. g. omnia*, Minor: *n. t. resp. p. a. s. i. b. a. d. gesta*, notato ad marginem: *resp.* etc. *decore omnia gesta sunt.* Putschius et recentiores Gryphianam minorem sequuntur; unus Cortius bene disiungit: *res publica.* Legendum: *Nisi tamen res, pariter — gesta*, ut librarii addiderint *publica*, quemadmodum saepe. Cf. Cat. 31.

Cap. CI. *undique simul speculatores* sc. Romani. — *divorsi redeuntes, alius ab alia parte.* Videtur idem per idem in his esse dictum. Unde memorabilis est codicis Tegernseeensis lectio, qui pro *redeuntes* habet *abeuntes*.

*Igitur Iugurtham spes frustrata. Igitur* omnes fere antiquiores. Sed Cortius: *Ita I.*, quem sequuntur recentiores.

*ratus, ex omnibus aeque aliqu.* etc., i. e. ratus, aliquam saltem harum quatuor partium hostibus, i. e. Romanis ab tergo esse venturam; idque fere facit Bocchus, ut paullo infra narratur, cum peditibus. Hoc autem *aeque* ab omnibus poterat sperari; unde hoc ipsum verbum, quasi supervacaneum, additum est.

*Interim Sulla*, qui apud dextimos curabat. *ipse aliique*, i. e. ipse cum parte suorum. — *si qui in manus venerant*, h. e. propius accedebant, ut cominus possent cum iis pugnare. Graeca locutione: *εἰς χεῖρας ἰέναι*. Cf. cap. 89.

quem primum hostes adtigerant, cohortatus suos, turmatim, et quam maxume confertis equis, ipse aliique Mauros invadunt: ceteri, in loco manentes, ab iaculis eminus emissis corpora tegere, et, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites praeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, (neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant,) postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: „nostros frustra pugnare; paullo ante Marium sua manu interfectum;“ simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii, terrentur: simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. Iamque paullum a fuga aberant, quum Sulla, profligatis iis, quos advorsum ierat, rediens, ab latere Mauris incurrit. Bocchus statim avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, accurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes iam undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri adflicti: ac

---

*Dein Numida*, i. e. Iugurtha. — *ad pedites*, sc. Mauros, qui sub Boccho extremum Rom. agmen adorti erant.

*Iamque paullum ab fuga aberant*, sc. in extremo agmine. — *ab latere Mauris*, sc. qui contra extremum agmen proeliabantur. Ingolst.: *Mauris ab latere inc.* quod Cort., qui participium *rediens* omisit.

*fugatis equitibus*, sc. qui sub Iugurtha a fronte contra Romanos steterant. — *accurrit auxilio suis*, sc. qui in extremo agmine a Mauris peditibus premebantur. — In hac omni autem pugna id egerat Iugurtha, ut debiliorem exercitus Romani partem maxime infestaret, dum fortiores occupatae essent. Sed ei auxilio venerant Sylla, qui apud dextros, et Marius ipse, qui primum agmen curaverat, postquam suos pepulerant adversarios.

multi, volneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine.

CII. Postea loci Consul, haud dubie iam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissumos ad eum mitteret; velle de suo et de populi Romani commodo cum his disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, ingenium aut avorsum uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cuius facundiae, non aetati, a Manlio concessum, pauca verba huiuscemodi locutus:

„Rex Bocche, magna nobis laetitia est, quum te, talem virum, Dii monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles, neu te optumum cum pessumo omnium Iugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem atque illum sceleratissumum persequi. Ad hoc populo Romano iam a principio [inopi] melius visum amicos quam servos quaerere: tutiusque rati, volentibus, quam coactis, imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia nostra: primum, quod procul absumus, in quo offensae minumum est, gratia par, ac si prope adessemus; dein,

---

Cap. CII. *velle de suo et de p. R. commodo.* Ita Ald., utraque Gryphiana et Ingolst. Sed Gerl. cum Cortio: *velle de se et d. p. R. c.*

*acciti ibant*, sc. ab rege, ita ut supervacaneum videretur, regi pacem suadere.

*iam a principio inopi.* Vocem *inopi* non habent quidam libri, neque agnoscit codex Tegernseeensis. Editiones omnes habent. Cortius: *Ad hoc populo Romano iam inopi visum, amic.* etc.

*tutiusque rati.* Sic Gryphiana et Ingolst. At Cort., Hav., Gerl. *tutius*, omissa copula. Plerumque autem *ratus* non est mere participium apud nostrum, sed verbum finitum, omisso auxiliari. Idque hoc loco eo magis, quod numerus est mutatus.

*amicitia nostra.* Corte, Gerl. *nostra amicitia;* perperam.

*offensae minimum est.* Sic Gryph. maior. Minor contra, et Ingolst. et Putschius et recentiores omnes omittunt *est.* — Sen-

quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit; cui scilicet placuit et vim et gratiam nostram te experiri: nunc, quando per illam licet, festina, atque, uti coepisti, perge. Multa opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum dimitte, numquam populum Romanum beneficiis victum esse: nam, bello quid valeat, tute scis."

Ad ea Bocchus placide et benigne; simul pauca pro delicto suo verba facit: „Se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse: nam Numidiae partem, unde Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam vastari ab Mario pati nequivisse: praeterea, missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad Senatum missurum." Dein, copia facta [mittendi], animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullae et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

---

sum quod attinet, apta sane profert ad foedus amicitiamque iungendam incitamenta. Nam quo longius absis ab aliquo, hoc facilius retineas amicitiam; deinde unusquisque amicitiam oblatam volente animo accipere debet, si vel potentissimus sit, quia parentes, h. e. qui pareant sibi, facilius quisque sibi paret, quam amicos.

*quam mala perpessus es.* Ita Gryph. utraque; *esses* Ingolst., Putsch., Cort., Hav., Gerl.

*cui scilicet placuit, et vim* etc. Ita plerique codd. et Gryph minor et Ingolst. — Corte et Gerl.: *cui scilicet placuisse, et vim.* Gryphiana maior: *cui sc. complacuit, vim et gr.*

*Multa opportuna habes.* Ita maior Gryph. et Erlang. codex. Sed Gryph. minor, Ingolst., Putschius, Cort., Gerl.: *multa atque opportuna habes.*

*unde Iugurtham expulerit.* Cort. *unde vi Iugurtham exp.*, quem sequitur Gerl.

*missis antea Romam legatis.* Cf. cap. 80.

*copia facta mittendi.* Vocem *mittendi* habet Gryphiana maior et Ingolst. Sustulit eam Aldus, Fulvii Ursini librum secutus. Deest in Gryph. minore, Putschio, Cort., Gerl. Ceterum cogitandus est Sulla a Boccho rediisse in castra.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernaculis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes praesidium imposuerat. Tum rursus Bocchus, scilicet seu reputando, quae sibi duobus praeliis evenerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita, et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire iubet: agendarum rerum et quocumque modo belli componendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur: dein a Gaetulis latronibus in itinere circumventi spoliatique, pavidi sine decore ad Sullam profugiunt; quem Consul, in expeditionem proficiscens, pro praetore in castris reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, uti meriti erant, sed accurate et liberaliter habuit; qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat: munificus nemo putaba-

---

Cap. CIII. *Tum rursus Bocchus, scilicet seu rep.* Vox *scilicet* in omnibus legitur antiquis edd.; et Veneta quoque Telleri habuit. Putschius tamen et *scilicet* et *Bocchus* omisit; omiserunt *scilicet* et Cort. et Hav. et Gerl. Sed ea particula frequens est Sallustio. Nonnulli codices habent: *Bocchus feliciter seu*, ut Erl. et Teg.; alii: *Bocchus feliciter flexus.* Alii: *flectitur Bocchus*; alii denique: *Bocchus flexus erga Romanos.* Sed part. *flexus* in fine capitis superioris legitur.

*proeliis evenerant.* Cort., Gerl. *venerant.*

*a Gaetulis latronibus in itinere circumventi.* Hic ordo in Gryph. maiore et Putschio. Minor: *a latr. Gaet. i. i. c.*, uti et Ingolst. — Cortius: *deinde itinere a Gaet. l. circ.* Idem Gerl., addito *in* ante *itinere.*

*pro praetore in castris rel.* Verba *in castris* habet utraque Gryphiana; omittit Ingolst., Putsch., reliqui, et Gerl. Popma tamen ea in antiquis libris invenit, et ego recipienda puto, licet in urbe ipsa Cirta Marius hiberna habuerit. Nam aliquid interpositum fuisse inter *praetore* et *reliquerat*, ex sono coniicio, quia vix duplex *re* Sallustius ita hic coniunxerit.

*uti meriti erant.* Nam Bocchus ruperat amicitiam, permotus ab iis, quos Iugurtha corruperat donis.

*multis ignota erat*, sc. Mauris. — *aut benevolentiae*, h. e quibus existimabant futurum esse, ut benevolentiam conciperen

tur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit; copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quae aut utilia aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt: dein, Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.

CIV. Marius, ubi, confecto negotio, quo intenderat, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam ad se venire iubet, item L. Bellienum Praetorem Utica, praeterea omnes undique Senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit; quibus mandatis legatis potestas eundi Romam, ab Consule interea induciae postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere: pauci vero ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles saepius in adversa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus, tres Romam profecti sunt cum Cn. Octavio Rufo, qui

---

Romani erga regem Bocchum. — Sed Putschius: *benevolentia*, uti supra: *magnifica pro se et illis dolentia*, cap. 84.

Cap. CIV. *Marius, ubi, confecto negotio.* Putsch., Corte, Gerl. *Marius postquam infecto negotio.* Negotium autem erat oppugnatio turris regiae, quae commemoratur in principio capitis 103. Id quare infectum potius subsumendum, quam confectum, praesertim cum ultra 40. dies abfuerit, parum apparet.

*illosque et Sullam ad se.* Verba *ad se* utraque habet Gryphiana, quarum maior mendose hic addit *Uticam.* Putschius: *et Sullam ab Utica.* Gerl. cum Cortio omittit *ad se*, quod Popma in duobus reperit codicibus. — *praetorem Utica.* Hic Gryph. maior *Utica* omittit, minor et Ingolst. habent: *ab Utica.*

*quibus mandatis legatis pot.* Perplacet haec Gryphianae maioris lectio, quum et minor et Putschius et alii omittant verba *quibus mandatis.* Ingolst. tamen habet *quibus legatis*, et cod. Erl. *a quis.* Gerl. cum Cortio et Gryph. minore: *legatis potestas eundi Romam fit ab consule: interea induciae postulabantur.* Nostrae sensus est: in quibus mandatis postulabatur primum potestas Romam eundi, deinde induciae, dum legati redirent. Similia v. cap. 29. — *Ea Sullae*, ea sc. mandata proposita.

*pauci vero ferocius. vero* deest in Putsch., Ingolst., Cort., Gerl.

*saepius in adversa.* Iidem: *semper in adv.*

*profecti sunt cum — qui quaestor st. in A. port.* Haec ita

[quaestor] stipendium [in Africam] portaverat; duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus quum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae [lubens] accepit. Romae quoque legatis eius, postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo respondetur:

„Senatus et populus Romanus beneficii et iniuriae memor esse solet. Ceterum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit; foedus et amicitia dabuntur, quum promeruerit.“

CV. Quibus rebus cognitis, Bocchus per literas a Mario petivit, ut Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum praesidio equitum atque peditum, funditorum Balearium; praeterea sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi caussa: neque his secus, atque aliis armis, advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere, quinto denique die Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit: qui, temere et effuse euntes, Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hostilem metum efficiebant. Igitur se quisque

---

habet Gryph. maior, nisi quod eadem: *cum C. Octavio Rufone.* Nostram minor et Ingolst., item Putschius, nisi quod is *Rusone* habet. Minoris lectionem Cortius sequitur, omisso *sunt.* Sed Gerl.: *profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui stipendium (in Africam) adportaverat.*

*studium Sullae lubens accepit.* Verbum *lubens* non habet Gryph. maior neque Putschius. Habent minor, Ingolst., Cort., Gerl. — *Romae quoque legatis.* Ita utraque Gryph. et Ingolstadiensis. Alii *Romaeque*, ut et Putschius. Sed Cortius: *Romae leg. e.* quem sequitur Gerl.

*deprecati sunt*, h. e. confessi sunt, precibus additis ut ei condonarent. Ceterum Rivius in aliis bonis libris scriptum invenit *deplorati sunt*, quae lectio etiam ad marginem legitur Gryphianae minoris.

*delicti gratiam facit.* Ingolst. *faciet: et foedus et am.* — *quum promeruerit.* Putsch. *meruerit*, itaque et Cort. et Gerl.

Cap. CV. *neque his secus atque aliis armis — muniti.* Dicuntur igitur sagittarii velitaribus suis armis satis muniti fuisse contra tela hostium, idque ideo, quod ea *tela levia fuerint.* — Gryph. mai. *muniti erant.*

expedire, arma atque tela tentare, intendere: timor aliquantus; sed spes amplior, quippe victoribus, et adversum eos, quos saepe vicerant. Interim equites, exploratum praemissi, rem, uti erat, quietam nunciant.

CVI. Volux adveniens Quaestorem adpellat, dicitque: se a patre Boccho obviam illi simul et praesidio missum. Deinde eum et proximum diem sine metu coniuncti eunt. Post, ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus, incerto voltu pavens, ad Sullam adcurrit dicitque: sibi a speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse: simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat se totiens fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere; etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae ac forsitan post paullo interiturae morbo vitae parceret. Ceterum ab eodem monitus uti noctu proficiscerentur, consilium adprobat; ac statim milites caenatos esse, in castris ignes quam creberrumos fieri, deinde prima vigilia silentio egredi iubet. Iamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quum equites Mauri nunciant, Iugurtham circiter duum millium intervallo ante eos consedisse. Quod postquam auditum est, tum vero ingens metus nostros invadit: credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet: suos hortatur, uti fortem animum gererent; saepe ante a paucis strenuis ad-

---

— *intendere* sc. animum. Cf. cap. 20.

Cap. CVI. *obviam illi simul.* Sic utraque Gryph. et Ingolst. Sed Putschius: *illis*, quod et Gerl.

*sibi a speculatoribus.* Ita Gryphianae cum Ingolst. et Putschio. Sed Cort. et Gerl. *ex sp.*

*interiturae morbo.* Gerl. inverso ordine.

Cap. CVII. *eadem existumabat.* Corte, Gerl. *eadem aestumabat.* — *ab iniuria Maurum prohibet*, i. e. eum tutatur ab Romanorum vi.

versus multitudinem bene pugnatum: quanto sibi in praelio minus pepercissent, tanto tutiores fore: nec decere, quem manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, Iovem maxumum obtestatus, ut sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, [ex] castris abire iubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet: nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae, cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque eius omnes ex patre suo penderent, credere, illum nihil ausurum palam, quum ipse filius testis adesset: quare optumum factu videri, per media eius castra palam transire: sese, vel praemissis, vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res, uti in tali negotio, probata; ac statim profecti, quia de improviso accesserant, dubio atque haesitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat, praemissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator, et subdole speculatum Bocchi consilia: praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere impar; nam pater eius ex concubina ortus erat; ob ingenii multa bona Mauro carus acceptusque.

---

*a paucis strenuis adversus.* Putschius et recentiores omittunt *a.* Pro *adversus* Corte et Gerl. *advorsum.*

*nec decere, quem manus armaverit,* i. e. qui vel nudas habeat manus. Sic utraque Gryphiana. Locus videtur sumptus esse ex Xenophontis Cyrop. III, 3, 45. ubi haec leguntur: *μωρὸν γὰρ, τὸ, κρατεῖν βουλομένους, τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας.* — *inermis* pro *inermibus* legendum, ex Nonio in comm. de mutata declinatione. — Sed Gerl. cum Putschio et Cortio: *nec quemquam decere, qui manus armaverit.*

*ex castris abire iubet.* In Ald. et Gryph. utraque abest *ex.*

*opesque eius omnes.* Vi *omnes* omisit Putschius, itemque Cortius et Gerl. — *ausurum palam.* Gerl. *pal. aus.* — *optumum factu.* Gerl. *opt. factum.* — *accesserant* Gerl. *acciderant.*

Cap. CVIII. *nam pater eius ex concubina ortus erat.* Non in-

Quem Bocchus fidum Romanis multis ante tempestatibus expertus, illico ad Sullam nunciatum mittit, paratum sese facere, quae populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus ipse delegeret: consulta sese omnia cum illo integra habere; neu Iugurthae legatum pertimesceret; accitum esse, quo res communis licentius gereretur; nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis detinuisse, multumque cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam traderet: libidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

CIX. Igitur Sulla respondit: pauca se coram Aspare locuturum, cetera occulte, aut nullo, aut quam paucissumis praesentibus: simul edocet, quae responderentur. Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit: se, missum a Consule, venisse, quaesitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret. Tunc rex, uti praeceptum fuerat, post diem decimum redire iubet; ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum; deinde ambo in sua castra digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte accersitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur: praeterea

---

telligendus est pater ipsius Dabaris, sed pater matris eius. Secuti sumus Gerlachium Putschiumque; Cortius omittit *nam* ante *pater*. In Gryphiana utraque est: *nam mater eius ex concubina orta erat*. Item Ingolst. (cf. cap. 5.). — In sequentibus Gerl. cum Putschio et Cort. *Mauro* ante *ob ingenii* collocatum habet.

*quem Bocchus fidum Romanis*. Gerl. *q. B. f. esse Romanis*, cum Putschio et Ingolst. Suspectum aliis est v. *Romanis*, quod tamen in utraque Gryph. et in Ingolst. legitur. In iisdem illis deest *esse*. Ceterum conferendus locus cap. 109. in fine, ubi idem Dabar sanctus vir, et ex sententia ambobus, sc. Boccho Syllaeque fuisse dicitur. Nimirum nemo magis fidus fuerat Romanis, quam Masinissa, cuius ex gente ortus erat Dabar.

*accitum esse, quo res c.* Verba *accitum esse* desunt in Putschio, Cort., Gerl.

*spe pacis detinuisse*. Putsch., Cort., Gerl. *adtinuisse*.

Cap. CIX. *Igitur Sulla respondit: pauca se*. Ita utraque Gryph., Ingolst., Putsch., Haverc. At Cortius et *respondit* et *se* omisit. Quem secutus est Gerl.

*Tunc rex*. Iidem: *Tum rex*.

Dabar internuncius, sanctus vir et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit:

CX. „Numquam ego ratus [sum], fore, uti, rex maxumus in hac terra, et omnium, quos novi, opulentissimus, privato homini gratiam deberem. Et [me] hercule, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id immutatum, quod ceteri dolere solent, ego laetor: fuerit mihi pretium, aliquando eguisse tuae amicitiae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo quicquid animo lubet, sume, utere: et, quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit: denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut ego existumo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum est. Ceterum de republica vestra, cuius huc curator missus es, paucis accipe. Bellum ego populo

---

*sanctus vir et ex s. a.* Utraque Gryphiana: *sanctus vir iurat ex sententia amborum.* Ingolstadiensis: *sancte iurat ex sent. amborum.* Sed nostram videntur habere Tegerns. et Erlang. codices.

Cap. CX. *Nunquam ego ratus fore.* Utraque Gryph. omittit *sum*, quod habet Ingolst., Putsch., Cort., Gerl. Plerumque autem apud Sallustium in hoc verbo omittitur auxiliare.

*rex maximus in hac terra,* videlicet Mauritania, non orbe terrarum. — *quos novi, opulentissimus.* Ita Gryph. utr. et Ingolst. Putschiusque. Sed Cort., Gerl. omittunt adi. *opulentissimus.*

*nullius indigui.* Sic Gryph. utr. et Putsch. et Cortius: Sed Gerl. ex vetusto codice *null. indigus*, quae lectio et ad marginem legitur Gryph. minoris, et in ipsa Ingolst.

*Id immutatum:* Putsch., Cort., Gerl. *Id imminutum*, elegantiori locutione; et Gryph. minor ad marginem habet: *Id esse imminutum mihi*, quod in ipsa legitur Ingolst.

*fuerit mihi pretium al. eg. t. a.* Verb. *pretium*, quod et Gryphianae habent et Putschius, omittunt Cortius Gerlachiusque. Iidem legunt: *eguisse aliquando am. tuae.* Sensus: ego omnino magni facio, eguisse al. tuae am. Loquitur autem Maurus de beneficiis, quae ante expertus erat ab Sulla, vel in prima legatione (cap. 102.) vel quum S. legatos eius accurate et liberaliter haberet (cap. 103.) eorumque mandata iuvaret (104.) vel cum Volucem filium Bocchi, proditionis suspectum, tutaretur, (cap. 107). Quae omnia haud sane parva fuerunt.

*ut ego existumo.* Cort., Gerl. *aestimo.* — *cuius huc curator.* Gerl. *cuius curator huc.*

Romano neque feci, neque factum umquam volui: finis meos advorsum armatos armis tutatus sum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite, uti voltis, cum Iugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque intrare Iugurtham sinam. Praeterea si quid meque vobisque dignum petieris, haud repulsus abibis."

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus multis disseruit. Denique regi patefecit, „quod polliceatur, Senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros: faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua, retulisse videretur; id adeo in promtu esse, quoniam Iugurthae copiam haberet; quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurimum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram." Rex primo negare; agitare adfinitatem, cognationem; praeterea foedus intervenisse; ad hoc metuere, ne fluxa fide usus, popularium animos averteret, quîs et Iugurtha carus, et Romani invisi erant. Denique saepius fatigatus lenitur, et ex voluntate Sullae omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cuius Numida, defessus bello, avidissumus erat, quae utilia visa, constituunt. Ita, composito dolo, digrediuntur.

---

*id omitto*, i. e. non faciam amplius.

*gerite, ut vultis.* Gerl. *ger., quod vultis.*

*non egrediar, neque* etc. Ingolst. *transgrediar.* Putsch. *neque id intrare Iug. sinam.* Cum Cortio Gerl. *neque Iugurtham id intrare sinam.*

Cap. CXI. *quod polliceatur*, sc. se non velle amplius armis uti adversus Romanos; velle pati, ut Romani cum Iugurtha bellum gererent; velle intra fines suos manere. Haec omnia ait Sylla populum Romanum non in gratiam esse habiturum, quia Romani armis amplius valuissent.

*Rex primo negare; agitare* etc. Verissimam hancce lectionem Popma in libris antiquis invenit. Utrumque contractum est in verbum *negitare*, quod habet Putsch., Cort., Gerl. Antiquae: *negare affin.*

*saepius fatigatus lenitur.* Sic Gryph. minor et Ingolstadiensis et Putschius. Gryph. maior: *leniter*, quod cum Cortio Gerl.

*avidissimus erat.* V. *erat* omittunt Putsch., Cort., Gerl.

CXII. At rex postero die Asparem, Iugurthae legatum, adpellat dicitque: sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse conditionibus bellum componi: quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille laetus in castra Iugurthae venit. Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, et ei denunciat, „Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere; sed Mario parum confidere: saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam, frustra fuisse. Ceterum Bocchus si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet; quum talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti iussu Senatus atque populi Romani foedus fieret: neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam, in hostium potestate, relictum iri.

CXIII. Haec Maurus secum ipse diu volvens, tandem promisit; ceterum dolo, an vero cunctatus, parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea, tempore et loco constituto, in colloquium uti de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum adpellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus, adhibitis amicis, ac statim, immutata voluntate, remotis ceteris, dicitur secum ipse multum agitavisse, voltu [colore ac motu] corporis pariter atque ani-

---

Cap. CXII. *bellum componi.* Cort., Hav., Gerl. *b. poni.* Item Ingolst.

*Deinde ab illo.* Gerl. *Dein ab illo.* — *nunciat.* Gerl. *denunciat.*

*in potestatem habuisset,* ἀρχαϊκῶς pro *in potestate,* quod pleraeque antt.

*non sua ignavia.* Ita Gryphiana utraque. In minori tamen ad marginem notata lectio: *non sua ignavia captum, sed ob remp.*, quod receptum a Bipontina et Langio. Idem tamen omitti potest, si post *in hostium potestate* interpungas, et subintelligas: *cum fuerit.*

Cap. CXIII. *dolo an vero.* Sic antiquae. Gerl. *d. an vere.*

*voltu, [colore ac motu] corporis.* Verba *col. ac motu* ha-

mo varius: quae scilicet, tacente ipso, occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam accersiri iubet, et ex eius sententia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit et ei nunciatum est, Iugurtham haud procul abesse; cum paucis amicis et Quaestore nostro, quasi obvius honoris caussa, procedit in tumulum, facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis, inermis, uti dictum erat, accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati: Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est.

CIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris, Q. Caepione et M. Manlio, male pugnatum, quo metu Italia omnis contremuerat. Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere: alia omnia virtuti suae prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum et Iugurtham Romam vinctum adduci nunciatum est; Marius Consul absens factus est, et ei decreta provincia Gallia. Isque Kalendis Ianuariis magna gloria Consul triumphavit. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

---

bent Gryph. utr. Ingolst. et Putsch.; omittunt Corte, Gerl. Et sane colore cum niger sine dubio fuerit Bocchus, vix eo apparere potuit, quae agitaret.

Cap. CXIV. *advorsum Gallos*, Cimbros Teutonesque.

*Illique et inde* etc. Et illi, qui tum vivebant, et qui nunc vivunt, Romani, semper existimarunt etc.

## EX
# C. SALLUSTII CRISPI
# HISTORIARUM LIBRIS
## ORATIONES QUAE EXTANT ATQUE EPISTOLAE.

### EX LIBRO I.

*Aemilii Lepidi Cos. ad P. R. oratio contra Sullam.*

Clementia et probitas vostra, Quirites; quibus per ce-

---

*Clementia et probitas v.* In libris Historiarum, qui omnes interciderunt, Sallustius persecutus est res populi Romani inde a M. Aemilii Lepidi et Q. Lutatii Catuli consulatu, anno ab Urbe c. 676, usque ad Caesarem, exposuitque de rebus statim post Sullae mortem gestis, de Hispaniensi sub Sertorio, Asiaticis sub Mithridate, de Spartaco, de Cretensium rebus, de Pompeii in Hispania, Luculli in Asia gestis etc. Et primus quidem liber habuit ea, quae statim post Sullae mortem, qui ipsis Catulo et Lepido consulibus exstinctus est, secuta sunt. Exortum autem tum est breve bellum civile, a Lepido, (quem Pompeius ipse, invito Sulla, in petitione adiuverat,) contra Syllanos conflatum, quum acta omnia Syllae rescindere, proscriptos revocare, tribunitiam potestatem, quam Sylla imminuerat, restituere tentaret. Lepidus autem non erat optimus civis; unde facile Catulus, eius in consulatu collega, copiis contra eum contractis, accedentem cum exercitu ad urbem Romam, (quo ad causam dicendam ab senatu evocatus erat ex provincia Gallia, quae pro consule ei obtigerat,) proelio facto fusum, abscedere coegit et in Sardiniam navigare, ubi exstinctus est morbo. Quam rem breviter narrat Appianus de bell. civ. I, 107. et Florus III, 23. — Sed hanc orationem Lepidus vivente adhuc Sulla ad Quirites habuisse cogitandus est, quem admodum ipse contextus aperte prodit. — Ceterum hae ex Historr. libris oratio-

teras gentes maxumi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae, ne aut, ipsi nefanda quae aestumatis, ea parum credendo de aliis, circumveniamini; praesertim quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captivis libertatis curam miseria eximat: aut, si provideritis, in tutandis periculis magis, quam ulciscendo, teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per iniuriam malunt, quam optumo iure liberi agere; praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvertenda. Nam quid a Pyrrho, Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quam libertas et suae cuique sedes; neu cui, nisi legibus, pareremus: quae cuncta saevus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet; non tot exercituum clade, neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior, quum plerosque secundae res in miserationem ex ira vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit; quis prius iniuria, quam vita, certa esset: pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos, metu gravioris servitii, a repetunda libertate terremini. Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illos sint: non prolatan-

---

nes in antiquis aliquot codicibus servatae sunt, propter utilitatem, quam praeberent in exercitationibus oratoriis.

*ne aut ipsi nefanda quae existimatis*, ex Putschio. — Gerl. *ne quae ipsi nef. ex.* Respondet alterum: *aut si provideritis*.

*qui dominationis in vos.* Gerl. *suae* addit post *dominationis*. Sensus: qui Sullae, uti sibi dominationem in vos permittat, quasi mercedis loco servitium praestant.

*tum crudelior*, *quum*, h. e. adepta victoria.

*supplicia in postfuturos*, legem ferendo, qua proscriptorum liberi ab honoribus publicis arcerentur.

*pravissumeque*, h. e. summa cum iniuria, summo cum dedecore vestro.

dum, neque votis paranda auxilia. Nisi forte speratis, taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse, et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendae dominationis honesta aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quae multi probi potius, quam laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt. Hac tempestate serviundum, aut imperitandum: habendus metus est, aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra: quaeve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus Romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agitandi inops despectusque, ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum et Latii magna vis civitate, pro multis et egregiis factis a vobis data, per unum prohibentur: et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, iudicia, aerarium, provinciae, reges penes unum; denique necis civium et vitae licentia. Simul humanas hostias vidistis, et sepulcra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud, quam solvere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura, vel ferro septis, statuit; neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat. Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum queror; et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint: nisi adprobaritis omnes proscriptiones innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum illustrium, vastam urbem fuga

---

*periculosius dimissurum*, si sponte abdicaret. Quasi enim obiectio est: sed forte putatis, Sullam propensum iam esse ad sponte deponendum imperium, sed existimare, nonnisi magno reip. periculo hoc fieri posse. — *omnia retinendae domin.*, h. e. omnia quae faciant ad retinendam dominationem.

*quies et otium nulla sunt*, h. e. non vere sunt quies et otium, sive: non nunc tempus est, his studere.

*quid ultra?* sc. committi ab illis potest.

*praemia turbarum*, sc. quae Syllani habent.

*aliena bene parta.* Gerl. *al. b. parata.*

*omnes proscriptiones.* G. *omnes proscriptionem.*

et caedibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio soluto [iure,] dominis tamen restituo: neque pati consilium est, ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta toleravimus, manus conserentes inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius faceret. Neque iam, quid existumetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor; ne, alius alium principem exspectantes, ante capiamini, non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt, sed vestra socordia, quam captum iri licet, et quam audeat tam videri felicem. Nam praeter satellites commaculatos, quis eadem volt? aut quis non omnia mutata, praeter victoriam? Scilicet milites: quorum sanguine Tarulae Scyroque, pessumis servorum, divitiae partae sunt: an, quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera et labores nihil, praeter tyrannum, quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mer-

---

*possessiones ex bonis pr.* Ipse quoque Lepidus coactus fuerat talia emere. Quae nisi emisset, non satis tutus fuisset.

*pretio soluto* [*iure*]. V. *iure*, quod habet Gerl., abest in Gryph. mai.

*rabie contracta*, h. e. orto bello civili inter Sullam Mariumque.

*manus conserentes*, h. e. pugnantes inter se.

*avidius faceret.* G. *avidius fecerit.*

*quam captum iri licet*, ex Gryph. minore. Maior: *raptum*, quod et Gerl. Sensus: ne ante capiamini, quam capi licet et quam ipse Sulla speraverit.

*Scyroque.* Gerl. *Scyrtoque.*

*tribunitiam potestatem*, quam imminuit Sylla.

cede, quum, relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellegerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis obtentui; quibus labefactis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi forte spe concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit. Neque aliter rempublicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quae si vobis pax et concordia intelleguntur, maxuma turbamenta reipublicae atque exitia probate: annuite legibus impositis: accipite otium cum servitio: et tradite exemplum posteris ad populum Romanum suimet sanguinis mercede circumveniundum. Mihi quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati, atque etiam praesidio; tamen non fuit consilium, privatas opes facere; potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Quirites, et, bene iuvantibus diis, M. Aemilium Consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

---

## *Oratio L. Philippi contra Lepidum in Senatu.*

Maxume vellem, Patres conscripti, rempublicam

---

*relegati in paludes*, i. e. nacti possessiones rusticorum; unde invisi facti milites. — *contumeliam atq. invidiam suam*, h. e. sibi, i. e. militibus, nihil inde provenisse nisi contumeliam et invidiam. — *praemia*, sc. vera aut maiora.

*quam formidatus antea est.* Gerl. omisit *antea.*

*nisi forte spe concordiae.* Gerl. *specie conc.* — Supple: *vos abstinebitis bello.*

*Neque aliter rempublicam* etc., i. e. neque aliis conditionibus se ait constituturum rempublicam, facturumque finem belli, nisi etc.

*Maxume vellem*, *P. c.* Hanc orationem L. Philippus senator in senatu habuit contra Lepidum. Erat autem Philippus Syllanarum partium, contra quas Lepidus, exercitu contracto, ex Gallia Cisalpina ad urbem Romam accedebat. Hunc contra Catulus proficisci parabat. Hortatur Philippus senatores, ut fortiter se gerant contra ingruentem Lepidum. Cf. super. or. argumentum.

quietam esse, aut in periculis a promptissumo quoque defendi; denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contra, seditionibus omnia turbata sunt; et ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremo, quae pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus facienda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt. Nisi forte cui, pacem praestare et bellum pati, consilium est. Pro, dii boni, qui hanc urbem, omissa cura, adhuc regitis; M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum opprimundae libertatis habet, et se e contempto metuendum effecit: vos, mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis, quam defenditis; neque intellegitis, mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure; quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cuius sceleribus tanta praemia tribuistis? At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Imo despecti et indigni republica habiti, praedae loco aestumantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, quum Etruriam coniurare, proscriptos accersiri, largitionibus rempublicam lacerari videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Aemiliae benefacta extollebant, et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant: et, quum privata ar-

---

*pacem praestare, et bellum pati*, i. e. nisi forte quis existimat, pacem quidem esse praestandam, ceterum, si Lepido placeat, bellum patiendum.

*omissa cura*, h. e. quamquam non vere eam curare videamini.

*mussantes et retractantes verbis et v. c.*, h. e. dum indignamini tacite, aut verbis rem expenditis et libros Sibyllinos consulitis.

*provinciam cum exercitu*, i. e. Galliam Cisalpinam.

*proscriptos accersiri*, int. ab Sylla proscriptos. Gerl. *pr. accersi*.

*populi Romani.* Faërnus legi maluit: *populum Romanum*. Verum *auxisse* dictum est pro *auctam esse*.

ma opprimundae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quaerendo, consilium publicum corruperunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo [non] diurna mercede vitam mutaverit: nunc est proconsul, cum imperio, non emto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus: et ad eum concurrêre homines omnium ordinum corruptissumi; flagrantes inopia et cupiditatibus; scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae. Hispaniae armis sollicitatae: Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin praeter idoneum ducem nihil abest ad subvertendum imperium. Quod ego vos oro atque obsecro, Patres conscripti, ut animadvertatis; neu patiamini, licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros [contactu] procedere. Nam, ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum, exercitu rursus admoto, ferro atque flamma urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia; quae ille advorsum divina et humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat, iniuria, sed legum ac libertatis subvortundae. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, haec atque illa tentans;

---

*et cum privata arma.* Gerl. omissa *et* copula.

*quorum nemo* [*non*] *diurna mercede.* In Gryphiana maiore deest *non*, et recte, ut ego opinor. Non enim audacia eorum, sed ignavia hic commemoranda erat.

*inopia et cupiditatibus.* G. *in. et cupidinibus.*

*quibus quies in sed.*, quippe ibi tuti sunt a iudiciis; *in pace turbae*, nam in pace minime tuti sunt vel ab creditoribus vel legibus iudiciisque.

*Hispaniae armis sollicitatae.* Gerl. *H. a. sollicitae.*

*in latere vectigalium nostrorum*, h. e. Asiae.

*dum, exercitu rursus admoto.* Gryph. mai. *dum exercitus rursus, adm.* Sed eundem Lepidum bis ad urbem cum hostili manu accessisse, vel ex hac ipsa oratione apparet.

metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra socordia. Neque mihi satis consilii est, metum, an ignaviam, an dementiam eam adpellem: qui videmini intenta mala, quasi fulmen, optare, se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem. Et quaeso considerate, quam conversa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant: nunc pax et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt: vos in metu. Quid exspectatis? nisi forte pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movent? qui placere ait, sua cuique reddi, et aliena tenet: belli iura rescindi, quum ipse armis cogat: civitatem confirmari, qui ademptam negat: concordiae gratia [plebei] tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessume omnium atque impudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum aut per iniuriam? Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris: bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum: ut te neque hominum neque deorum pudet, quos perfidia aut periurio violasti! Qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma, te hortor: neu, prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine attineas. Neque te provinciae, neque leges, neque dii penates civem patiuntur. Perge, qua coepisti, ut quam maturrume merita

---

*urbem invadat.* G. *urbem invadit.*

*optare, se quisque ne attingat. Quisque* refer ad *optare; attingat* autem, relatum ad proxime praecedens *fulmen*, sensu referendum ad *intenta mala.*

*nunc pax, et concordia.* Gerl. *pax, concordia.*

*An Lepidi mandata animos movent?* Gerl. — *movere?* Mandata sunt decreta, quae ille proposuerat contra Syllanos.

*qui ademtam negat.* G. *quibus ad. n.*

*quos perfidia aut periurio violasti.* G. *quos per fidem* etc.

*perge, qua coepisti, ut quam* etc. G. *perge, qua coeptas. maturrume* et in Fragmentis occurrit, et vero apud Tacitum Caesaremque. — Ceterum non praesens adfuisse cogitandus est ipse Lepidus, quum habebatur oratio, estque apostrophe in absentem. — *Merita*, i. e. quae meruisti.

13 *

invenias. Vos autem, Patres conscripti, quousque cunctando rempublicam intutam patiemini, et verbis arma tentabitis? Delectus advorsum vos habiti: pecuniae publice et privatim extortae; praesidia deducta atque imposita; ex libidine leges imperantur; quum interim vos legatos et decreta paratis. Et quanto mehercule, avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quum intelleget, se metu magis, quam aequo et bono, sustentatum. Nam qui turbas et caedem civium odisse ait, et ob id, armato Lepido, vos inermes retinet: quae victis toleranda sunt, ea, quum facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet. Haec si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut, obliti scelerum Cinnae, cuius in urbem reditu decus atque ordines omnes interierunt, nihilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rempublicam frustra curant. Agite, ut lubet; parate vobis Cethegos, atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos penates manus armare. Sin libertas et vera magis placent; decernite digna nomine, et augete ingenium viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi. Fortuna meliores sequitur. Iam illa, quae socor-

---

*legatos paratis*, sc. ad Lepidum mittendos, ut bello absistat.

*aequo et bono.* Cf. Iug. cap. 35. Synonyma apud Romanos: aequum, bonum, verum, iustum, iisque omnibus significatur status aut actio legalis et iusta.

*vos inermes retinet.* G. *vos inermos r.*

*decus atque ordines omnes interierunt.* Gerl. *decus ordinis huius interiit.*

*Cethegos.* G. *Cethegi.* Intelligendus est satelles Syllae, de quo cf. Val. Max. de Crudel. — *alia proditorum patrocinia.* Sensus: parate vobis rursus eiusmodi patronos, quales fuere Cethegus aliique Syllani. Nam haud absimilis futurus est illis Lepidus.

*Sin libertas et vera magis placent.* Pro *vera*, quod, ut pleraque in his mutata, ex quibusdam libris antiquis, Ciacconio adnotante, fluxit, vulgata lectio habet *bella*, consentaneum toti orationi et inertiae Romanorum, quam tantopere incusat Philippus. *Vera* autem sunt: *iusta.* — *digna nomine*, sc. libertatis aut veri. Possit etiam intelligi: nomine Romano, ut Iug. 58.

dia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum, privato consilio paratum, cum pessumis et hostibus reipublicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit; uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat.

---

## EX LIBRO III.

### *Epistola Cn. Pompeii ad senatum.*

Si advorsus vos patriamque et deos penates totiens labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi, et vobis salus quaesita est: nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, Patres conscripti, quem, contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum, cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe popu-

---

*quae socordia nostra collecta sunt*, sc. Lepidi copiae. Sed Gerl. *quae coll. s. soc. nostra.*

*Si advorsus vos.* Altero et tertio Historiarum libro Sallustius exposuerat de bello Sertoriano in Hispania, et Mithridatico in Asia. Contra Sertorium anno U. c. 676 Metellus, deinde (677.) Pompeius missus est; contra Mithridatem Lucullus. Mansit autem Pompeius in Hispania usque ad annum 683, quo, Sertorio ab suis interfecto, et eius socio Perpenna victo, ad conficiendum bellum servile, quod sub Spartaco per tres annos gestum erat, in Italiam rediit. — Gravissimum autem bellum hoc Hispanum erat, saepiusque admodum ab Sertorio premebantur et Metellus et Pompeius; (de quibus rebus cf. Liv. Suppl. Lib. 91 — 97.) ut adeo cedere semel cogerentur Hispania, et Galliam petere (a. U. 680.). Inprimis adfligebantur tum pecuniae inopia, quum stipendium militibus solvere non possent. Id igitur hic Pompeius ad Senatum queritur, et petit, ut sibi stipendium mittatur; quod nisi fiat, et se et omne bellum Hispaniae in Italiam esse transiturum.

*totiens labores.* Gerl. *tot lab.* Gryph. maior habet duplex *toties.*

*contra aetatem.* Si sumas, (quod quidem incertum adhuc,) Pompeium eodem quo Ciceronem anno natum esse, fuit tum, cum contra Sertorium militabat, circiter 33 annorum.

lus Romanus liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro volneribus et totiens ob rempublicam fuso sanguine? Fessus scribendo mittendoque legatos, omnis opes et spes privatas meas consumpsi: quum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos immortalis, utrum censetis me vicem aerarii praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor, me ad hoc bellum maiore studio, quam consilio, profectum: quippe qui, nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi, hostesque, in cervicibus iam Italiae agentes, ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius, patefeci. Recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Ilergetes: et primum impetum Sertorii victoris novis [quidem] militibus, et multo paucioribus, sustinui: hiememque in castris inter saevissumos hostis, non per oppida neque ex ambitione mea, egi; quid deinde praelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta, enumerem? Quando res plus valet, quam verba: castra hostium apud Sucronem capta, et praelium apud flumen Turiam, et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia, et exercitus deleti, satis clara vobis sunt; pro quis, o grati Patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est. Namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus, praeter maritumas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: et nunc, malis fructibus, ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis: qui

---

*nomine modo imperii*, quia nondum existebat exercitus, quem duceret.

*novis quidem militibus*. V. *quidem* in Gr. utraque et Putschio. Uncis inclusit Gerl.

*flumen Turiam*. Gryph. *fl. Durium*.

*in Italiam transgredietur*. G. *transgredientur*.

nisi subvenitis, invito et praedicente me, exercitus hinc, et cum eo omne bellum Hispaniae, in Italiam transgredietur.

---

## EX LIBRO III.

### *Oratio Macri, tribuni plebis, ad plebem.*

Si, Quirites, parum existumaretis, quod inter ius, a maioribus relictum vobis, et hoc a Sulla paratum servitium interesset; multis mihi disserendum fuit, docendumque, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset, utique vindices paravisset omnis iuris sui tribunos plebis. Nunc hortari modo reliquum est, et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me praeterit, quantas opes nobilitatis solus, im-

---

*Si, Quirites, parum.* Haec oratio varie inscripta est in editionibus antiquis, quarum Gryphiana maior habet: *Oratio Macri trib. pl. ad plebem.* Carrio in notis: *Marci Lepidi tr. pl. ad plebem oratio de tribunitia potestate recuperanda.* Idem Potschius. Habita autem esse cogitanda est a. Urb. 681. Coss. Terentio Varrone, C. Cassio Varo, id quod ex ipsa oratione apparet. Nimirum per eos annos continuas fere excitarunt turbas tribuni plebis, quibus suam recuperarent potentiam, ab Sulla valde imminutam, et a Pompeio demum consule restitutam. Sic Lepidus iam consul facere tentaverat, quem coercuit Catulus, ut supra vidimus; atque hoc in causis fuisse videtur, quare haec quoque oratio in editionibus plerisque antiquis Lepidi nomine inscriberetur. Cortios habet: *Macri Licinii,* quod defendit Ausonius Popma. Sed abhorret proprie ab usu Romano, praeponi cognomen *Macri* gentili *Licinio,* licet in ipso Crispo Sallustio a plerisque idem fiat. Ego quidem, si ex sola inscriptionis diversitate iudicandum sit, quae in antiquis obtinet, *Macri* putarim genuinum esse; quod nomen cum quidam *Marci* legerint, inde fecisse *Marci Lepidi;* alios, qui Licinios Macros dici meminissent, *Licinii* addidisse, unde postea ortum *M. Licinii,* quod habet Gerlachius.

*Si, Quirites, parum existimaretis* etc. Nisi vos ipsi probe perspiceretis, quantum intersit inter hanc reipublicae formam, et veram libertatem a maioribus vobis relictam, opus esset uberiore declaratione.

*disserendum fuit.* Gryphianae cum Putschio: *d. fuisset.*

*et ire primum,* sc. me.

potens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui, certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii, creati pro iure vestro, vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis in vos convortere, meliusque habent, mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum dominationem, qui per militare nomen, aerarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vestris: quum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis, exuti omnibus, quae maiores reliquere: nisi quia vobismet ipsi per suffragia, ut praesides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes: et mox, si vestra receperitis, ad vos redibunt plerique. Raris enim animus est ad ea, quae placent, defendenda: ceteri validiorum sunt. An dubium habetis, ne obficere quid vobis, uno animo pergentibus, possit, quos languidos socordesque pertimuere? nisi forte C. Cotta, ex factione media Consul, aliter, quam metu, iura quaedam tribunis plebei restituit; et, quamquam L. Sicinius, primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuêre, quam

---

*inani specie magistratus*, h. e. quum nonnisi speciem geram magistratus, h. e. tribunatus, qui per se nihil possit.

*soli innocentes*, i. e. qui deserti et relicti sunt.

*gratia aut spe aut praemiis*, sc. ab Sullanis. — *in vos*, h. e. contra vos.

*concessere illuc omnes.* Gerl. *c. illic* oi In seqq. vox *redibunt* deest in libris.

*Raris enim* Gryph. *rarus e.*

*ceteri.* Gryph. *Cetera*, et vv. *rarus* — *defendenda* in parenthesi. Sensus: pauci sunt, qui pro certo fine puguent, plerique potentiores sequuntur.

*ne obficere.* Codd. quidam *num obf.* Sed *dubium habetis*, h. l. i. e. q. *metuitis.*

*nisi forte C. Cotta.* Illos enim metuere, inde apparet, quod Cotta iura quaedam restituit tribunis, et quod, quamquam circumvento Sicinio pulsoque, tamen illi prius metuere inceperunt, quam vos taedium cepit iniuriae vobis illatae.

vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit, Bruto et Aemilio Mamerco Consulibus; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis. Quantae denique nunc mihi turbae concitantur! quae profecto incassum agerentur, si prius, quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant: praesertim quum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere. Permansit una res modo, quae utrimque quaesita est et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis: neu, nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro servitio adpelletis. Quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est conditio: fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortite: et, nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, arctius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium, omittendum morem hunc, quem agitis, impigrae linguae, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Deinde (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere): quamvis, Quirites, in vobis sit, ut, quae iussa nunc pro aliis

---

*incassum agerentur.* Gerl. *inc. agebantur.*

si, *priusquam vos serviundi finem* etc. Utrumque horum tamen eodem tempore erat faciendum: itaque in universum sensus est: si servitium sublatum esset, illorumque dominatio abiecta. — *dicta alia*, i. e. alius praetextus fuerit. — *Cetera arsere*, i. e. cetera bona vestra ablata sunt.

*quaesita*, sc. a vobis, *et erepta*, sc. ab inimicis.

*gravitate tutior*, h. e. quo gravior, eo tutior est.

*Deinde (ne vos* — Gerl. *Dein (ne v.* Sensus: nolo enim vos ad tam fortiter factum excitare, quale fuit maiorum vestrorum, quo sibi paravere tribunos pl., patricium modo magistratum, et suffragia libera.

*quamvis, Quirites.* Gerl. *quum vis omnis, Qu.*

toleratis, pro vobis agere, aut non agere certe, possitis, Iovem aut alium quem deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis, uti requiem cupiatis: neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, iure gentium res repeto: et, si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem; tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia; quaerant triumphos; Mithridatem, Sertorium, et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis: absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est; nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur; qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere; qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque, ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires: sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignavus quisque tenuissuma spe frustratur: quae tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat, decipi et vestrarum rerum ultro iniuria gra-

---

*ut, quae iussa.* Gerl. *et, quae t.* — *pro aliis toleratis*, i. e. exsequimini, perficitis. — *consultorem*, h. e. qui vobis consulat, auctorque salutis fiat.

*res repeto*, h. e. populo sua iura ut restituantur.

*cum imaginibus suis*, h. e. loco exercitus educant imagines suas, quibus gloriantur.

*nisi forte repentina* etc. Hunc omnem locum Gryphiana maior sic habet: — *pensantur; quum tamen qui his modis lib. o. ae., hi pr. n. a. p. al. carere: namque utilis exiguitate m. prohibetur. Sen. v., sic ut neque absolvi cura f. t. p. res possit. At et ignavissimi quique ten. spe frustrantur: quae tamen* etc.

*munia vestra*, i. e. honores vestri, libertas vestra. — *quinis modiis*, facta nimirum frumenti largitione in populum.

*Namque ut illis*, sc. alimentis carceris. — *tam parva res*, h. e. quinque modii frumenti.

*et ignavus quisque* etc. et quicunque, propter ignaviam obsequiosus, eos accipit, sperans meliora maioraque in posterum futura, etiam tenuissima spe frustratur. Quodsi tamen vel amplissimae fuissent illae largitiones, summae tamen erat torpedinis, iis decipi.

*et vestrarum rerum ultro* etc., et, cum omnia vestra sint,

tiam debere! Namque alio modo neque valent in universos, neque conabuntur. Cavendus tamen dolus est. Itaque simul comparant delenimenta, et differunt vos in adventum Cn. Pompeii; quem ipsum, ubi pertimuere sublatum in cervices suas, mox demto metu lacerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno aut remittere iniuriam non audere, aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantae gloriae adulescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium, auctoremque in primis fore tribuniciae potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti praesidia habebatis: neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est. Neque enim ignorantia res claudit. Verum occupavit nescio quae vos torpedo, qui neque gloria movemini neque flagitio, cunctaque praesenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc ire licet et illuc, munera ditium dominorum. Atque haec eadem non sunt agrestibus; sed caeduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur, et vincitur a paucis plebes; quodcumque accidit, pro victa est, et in dies magis erit: si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

---

ultro illis gratiam debere summa cum iniuria. — *Namque alio modo*, sc. quam talibus largitionibus.

*Cavendus tamen dolus est*, sc. ne vos, acceptis donis illis, nihil eo minus vestra iura petatis. Itaque vos differunt in adventum Pompeii, quem tamen ipsi mox vilipendent.

*aut remittere*, h. e. aut vobis iura vestra, si vere sunt iura, concedere non audere, aut suum ius, si vere ius est, non defendere.

*qui neque gloria.* Gerl. *qui non gl.*

*cunctaque praesenti ignavia mutavistis*, h. e. et qui loco omnium, quae habere debetis, nihil habetis praeter ignaviam hanc vestram praesentem.

*vincitur a paucis plebes.* Gerl. *vincitur paucis: plebes, qu. a., pro victis est.*

## EX LIBRO HISTOR. IV.

### *Epistola Regis Mithridatis scripta ad Regem Arsacen.*

Rex Mithridates regi Arsaci S. Omnes, qui, secundis rebus suis, ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; deinde, quod quaeritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni et scelestissumi; egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. Neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem. Atqui ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem, accipiet. Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi: et, quod florentibus optabile est, ego, non validissumus, praebeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus caus-

---

*Rex Mithridates.* Arsaces Parthorum fuit rex; ad quem Mithridates, ab Lucullo pulsus, quum ad Tigranem, Armeniae regem, confugisset, legatos misit, qui suaderent ei, ut bellum cum Romanis ipse quoque susciperet. Factum hoc ante captam Nisibin urbem, anno 685 aut 686, commemoraturque a Dione Cassio Lib. 35. init. Ipsa res successu caruit, primum quod simultates erant inter Arsacem et Tigranem ob regionis alicuius possessionem, deinde quia imperator Romanus, de legatione hostium edoctus, ipse quoque legatos ad Arsacem miserat, qui foedus dissuaderent. Unde factum, ut neutrius partibus accederet Arsaces. Cf. eundem Dionem l. l.

*deinde quod.* Gerl. *dein quod.*

*tibi perpetua pace.* Gerl. *tibi si perpetua p. fr. licet, n. h. o. et scelestissimi, et egreg. f. — est: neque p.* Verum frustra laborabunt, qui ex his unam periodum formare volent, quamvis invitent coniunctivi *audeam* et *sperem*, pariter ac coniunctiones adhibitae *Neque — et.* Protasis enim repugnantias habet, quae nulla ratione tolli possunt.

*cum bonis tuis.* Gerl. *cum tuis bonis.*

*Atqui ea.* G. *atque ea.*

*Ille enim obnoxius*, sc. tibi, i. e. non sui, sed magis tui arbitrii. Victus enim discesserat Tigranes.

*usum dedit bene suadendi*, h. e. facit ut bene tibi possim suadere, quo melius tua componas. — *non validissimus*, per λιτότητα; attritus enim maxime erat bello cum Rom. gesto.

sa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum: qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere. Dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes, ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avortêre; ac mox, fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis occidêre. Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post Attalum, custodem agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere. Asia ab ipsis obsessa est: postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere; quum filius Nusâ, quam reginam adpellaverant, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me adpellem? quem, disiunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat, divitem, neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt; sceleris eorum haud ignarum, et ea, quae accidêre, testa-

---

*Qua primo cum rege.* G. *qua primum c. r.*
*cum rege Phil.* Cf. Liv. 31, 3—8.— *Antiochum*, cf. ibid. cap. 14. et 33, 13. 35, 13. — *fracto Phil.* cf. Liv. 32, 36. 33, 11. 34, 52. — *Antiochus omni cis Taurum* etc. cf. Liv 38, 38. — *Persen*, Liv. 44, 45.
*fracto Philippo.* G. *tracto Ph.*
*Eumenem*, Attali filium, cf. Liv. 35, 13. 36, 42. 37, 14. 18. 33.
*Attalum*, sc. iuniorem, non illum Eumenis patrem, sed Aristonici; qui heredem fecit populum Romanum; hinc quasi custos agri captivi dictus.
*Aristonicum.* Cf. Liv. Suppl. 59, 15—70. — *Asia obsessa.* Cf. Liv. 37. 33.
*totam Bithyniam.* G. omisit *totam.*
*Bithyniam diripuere*, nimirum heredes instituti ab Nicomede. Cf. Liv. Suppl. 93, 3.
*quam reginam appellaverant.* Gryph. maior: *quem regem appellaverat.*
*per Nicomedem lacessiver.* Cf. Liv. Suppl. 70, 43. 44.

tum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemaeum. Atque ego, ultus iniurias, Nicomedem Bithynia expuli, Asiamque, spolium regis Antiochi, recepi, et Graeciae demsi grave servitium. Incepta mea, postremus servorum, Archelaus exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas poenas solvunt: Ptolemaeus, pretio diem belli prolatans; Cretenses, impugnati semel iam, neque finem, nisi excidio, habituri. Equidem, quum mihi, ob ipsorum interna mala, dilata praelia magis, quam pacem datam, intellegerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cepi: Marcumque Cottam, Romanum ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat. Ita, sine vi hostium, regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Caberam exercitu, et variis inter me atque Lucullum praeliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quaeso considera, nobis oppres-

---

*Archelaus*, praetor Mithridatis, de quo v. Liv. Suppl. 76, 49 sqq. *postremus servorum*, i. e. nequissimus, ignavissimus, utpote qui vinci se passus a Sulla; *servorum* autem ait, quia in exercitu eius ad quindecim millia servorum fuere. Liv. Suppl. 82, 14.

*pretio diem belli prolatans.* G. *pretio in dies bellum pr.*

*in obsidione moranti.* G. *in obsidio moranti.*

*ambos*, i. e. me et Tigranem. — *Illi*, sc. Tigrani.

*Ariobarzanis*, regis Cappadociae. — *suberat*, i. e. propinquum erat, ex quo posset exercitum alere.

*quia multitudinem artis locis.* Secuti erant Romani, non Mithridatem, sed Tigranem, eumque in *arta loca*, h. e. angustias compulerant, ibique fuderant.

sis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem, tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus, belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere: quo modo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus facit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium? convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum? quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxtaque sitos, inopes potentesque, trahant excidantque, omniaque [non serva,] et maxume regna, hostilia ducant? Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt; nos suspecti sumus, aemuli, et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucia, maxuma urbium, regnumque Persidis inclitis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in praesens et postea bellum, exspectas? Romani arma in omnes habent, acerruma in eos, quibus victis, spolia maxuma sunt. Audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc morem exstinguent omnia, aut — occident: quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur. Exercitus sine frumento, sine auxiliis, fortunâ aut nostris vitiis adhuc incolumis.

---

*nobis oppressis*, sc. me et Tigrane.

*neque vincere, neque vinci.* Nam si vicerimus, a nobis repulsi te tamen infestabunt Romani. Sin illi superiores discedent, eo magis.

*finem Oceanus facit*, G. — *fecit.*

*procul iuxtaque sitos.* G. *pr. iuxta sitos.*

*excidantque.* G. *excidant.*

*non serva* desunt in Gryph.

*Seleucia*, ad Tigrin sita, in terra Mesopotamia. Cf. Plin. H. N. V, 25.

*aut occident*, i. e. interibunt, exitium nanciscentur.

*quod difficile non est*, G. *qu. haud d. e.*

*circumgredimur. Exercitus.* G. *circumgredimur exercitum — incolumem.*

Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias, moneo hortorque: neu malis pernicie nostra tuam prolatare, quam societate victor fieri.

---

## *Oratio C. Cottae Consulis ad Populum.*

Quirites, multa mihi pericula domi, militiae, multa advorsa fuere: quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis et virtute mea; inque his omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labos. Malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere: Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat· cui misero, acta iam aetate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et, bis genitus hic, deos Penates meos patriamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quae poena mortuo, quum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici? A prima adulescentia in ore

---

*Quirites, multa mihi.* Habita esse cogitanda est haec oratio anno 679, quo anno et annonae caritate laborabant Romani, (quam levavit Cicero, quaestor in Sicilia) et Mithridates de bello renovando cogitabat, et in Hispania Pompeius, contra Sertorium bellum gerens, quia pecuniam senatus non miserat, qua stipendium militibus solvi posset, in extremum paene periculum reductus fuerat. Excitaverant autem tumultum Romani, quod viderent, rempublicam multis partibus male geri. Igitur deprecatur Cotta, hortaturque, ut et constanti animo tolerent mala, et reipublicae subveniant. Oratio ad secundum Historiarum librum referri possit. Cf. orat. Macri, cuius initium: *Si, Quirites, p.*

*militiae.* G. *militiaeque.*

*inque his omnibus.* G. *in quis omnibus.*

*neque decretis labos*, h. e. neque peperci labori, quo vestra decreta perficerem.

*acta iam aetate.* G. *senecta iam aetate,* quum *senectus* praecesserit.

*Nam si parr.* Nam si verum esset, quod deprecor ne credatis, mea culpa res male geri. — *bis genitus hic:* quoniam vos me bis ad honores extulistis; uti ex sequentibus apparet; post Syllae videlicet mortem restitutum.

vestro privatus et in magistratibus egi. Qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt. Neque ego callidam facundiam neque ingenium ad male faciundum exercui: avidissumus privatae gratiae, maxumas inimicitias pro republica suscepi. Quîs victus cum illa simul quum, egens alienae opis, plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque Penates cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors iura naturae sunt. Ut sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer, agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissuma republica. Namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt; et id res cogit; quoniam defectione sociorum et Sertorii per montes fuga neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiae marituma et provinciarum: quum interim vectigalia, parva et bellis incerta, vix partem sumptuum sustinent: ita classe, qua commeatus vehebatur, minore, quam antea, navigamus. Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, uti lubet ita supplicium sumite: sin fortuna communis asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? Atque ego, cuius aetati mors propior est, non deprecor. Si quid eâ vobis incommodi demitur, neque mox ingenuo corpori honestius, quam pro vestra salute, finem vitae fecerim: adsum en, Cotta Consul; facio, quod saepe maiores asperis bellis fecere; voveo dedoque

---

*Quis victus cum illa simul. Quibus*, sc. inimicitiis, quas susceperat Cotta pro republica, Syllanarum videlicet partium; *cum illa simul* sc. cum republica, quae desiit esse respublica, cum unius tyrannidi subiecta esset.

*iura naturae.* Gryph. mai. *iure nat.*

*imperatores Hispaniae.* Cf. epistolam Cn. Pompeii, p. 197.

*qua commeatus vehebatur.* G. *quae commeatus tuebatur.*

*uti lubet, ita.* G. *uti monet ira.*

*fortuna communis.* G. *comm. fort.*

*si quid ea vobis.* In his interpunctionem mutavimus. Vulgo enim punctum ponitur post *fecerim*.

me pro republica; quam deinde cui mandetis, circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunae et pacis et belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriundum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam caesum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur, Quirites, et gloriam maiorum [precor,] tolerate advorsa et consulite reipublicae. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores: quos nequicquam abnuitis et pacis opulentiam quaeritis, quum omnes provinciae, regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

---

*et pacis et belli.* G. *et maris et belli.*

*precor*, quod inclusum tamen dedimus, omisit Gerl. cum Gryph. minore et Putschio.

## EPISTOLAE AD C. CAESAREM

# DE REPUBLICA ORDINANDA.

## EPISTOLA I.

1. Pro vero antea obtinebat, regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quae per mortales avide cupiuntur: quia et apud indignos saepe erant, quasi per lubidinem data, neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit, id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse suae quemque fortunae: atque in te maxume, qui tantum alios praetergressus es, uti prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo. Ceterum, ut fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberi decet, ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit: et, quamvis bonus atque clemens sit,

*Pro vero antea obtinebat.* Veteres editiones hic habent: *Populus Romanus antea obt.* Ex duobus codicibus, Longobardicis literis scriptis, nostrum dedit Ciacconius. — Hae autem duae epistolae, sive orationes, ad C. Caesarem scriptae, ab aliis abiudicantur Sallustio, alii Ciceroni tribuunt. Mihi ad Crispi scribendi genus propius videntur accedere, quam ad M. Tullii. Multa enim insunt, quae nisi ab Sallustio profecta, certe ex eius scriptis deprompta esse videantur, ut illud: *orta omnia intereunt*, et *tempestas* pro *tempore*, et *aspera* pro *difficilibus*, et usus coni. *scilicet*, et alia plura. Ceterum dignas esse quae legantur, haud facile quis negaverit. Argumentum earum quod attinet, in utraque hoc maxime Caesarem hortatur, ut luxuriam et libidinem ex civitate tollat, quo diutius respublica firma sit. In altera praeterea colonias suadet militares, et de magistratu, deque suffragiis et iudiciis ordinandis agit.

§. 1. *antea*, h. e. ante te genitum; antequam tu, C. Caesar, fortunam adeo vinceres.

*praetergressus es.* Gerl. *praegressus es.*

14 *

qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formidatur. Id eo evenit, quia plerique rerum potentes pervorse consulunt, et eo se munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, quum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optumis imperites. Nam pessumus quisque asperrume rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quam ante te omnibus, armis parta componere, quod bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores praedam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi, atque in posterum firmanda respublica, non armis modo, neque advorsum hostis, sed, quod multo maius multoque asperius est, bonis pacis artibus. Ergo omnes, magna, mediocri sapientia, res huc vocat, quae quisque optuma potest, uti dicant. Ac mihi sic videtur: qualicumque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura.

2. Sed iam, quo melius faciliusque constituas, paucis, quae me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiae, maiore fortuna, quam sapientia: quem secuti sunt pauci, per suam iniuriam tibi inimici; item, quos affinitas aut alia necessitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo vulgi, more magis, quam iudicio, post alius alium,

---

*Id eo evenit.* V. *eo*, quod omittit Gerl., habet codex Vaticanus. Evenire autem dicit ut magna imperia infirmata corruant. Nam ad proxime praecedentia aegre haec referri possint.

*nequiores fuere*, pro: nequiores sunt. Sed praesentia quae praecedunt, quia locus communis est, praeteritum involvunt, aut pro praeteritis sunt.

*victores praedam petunt*, milites tui praemia periculorum suorum poscunt aut exspectant.

*multoque asperius*, i. e. difficilius. Aspera enim et ardua saepius pro difficilibus Sall. ponit.

§. 2. *per suam iniuriam*, sc. erga te, non propter tuam in illos.

*particeps dominationis*, sc. Pompeio. Non enim passus est. Quod si ferre ille potuisset, non ortum esset bellum civile inter te atque illum.

quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus, maledictis iniquorum occupandae reipublicae in spem adducti, homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua, et aperte quietis mortem, rapinas, postremo omnia, quae corruptus animus iubebat, minitari. Ex quîs magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere: pauci restitere, quibus maius otium in castris, quam Romae, futurum erat; tanta vis creditorum impendebat. Sed ob easdem caussas, immane dictu est, quanti et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque inspoliato fano, debitores usi.

3. Igitur, quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est; hoc uti civiliter deponas, illa ut quam iustissuma et diuturna sit: de te ipso primum, qui ea compositurus es, quod optumum factu est, existuma. Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna arbitror; neque quemquam in multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum aeternum et anceps gerere, quoniam neque advorsus, neque ab tergo aut lateribus tutus sis; semper in periculo aut metu agites. Contra, qui benignitate et clementia imperium temperavere, his laeta et candida omnia visa; etiam hostes aequiores, quam aliis cives. Haud scio, an qui me his dictis corruptorem victoriae tuae, nimisque in victos bona voluntate praedicent. Scilicet, quod ea, quae externis nationibus, natura [nobis] hostibus, nosque maioresque nostri saepe tribuêre, ea civibus danda arbitror; neque barbaro ritu caede caedem et sanguine sanguinem expiandum.

---

*quae corruptus animus iubebat.* Gerl. *quae corrupto animo lubebat.*

*creditum condonare:* ubi vident, nullam per te fieri potestatem, ut creditum sibi condonaretur; nullas tabulas novas.

*quasi sacro atque insp. fano,* i. e. quasi asylo, quo tutissimi essent.

§. 3. *neque quemquam in multis.* Gerl. omittit praep. *in,* quam habent antiquae.

*Haud scio an qui* etc. i. e. Haud scio an futuri sint, qui etc.

*barbaro ritu.* Gerl. *barbarico ritu.*

4. An illa, quae paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamqueSullanam increpabantur, oblivio abstulit? Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neque in praelio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in villa publica, pecoris modo, conscissam. Heu, quam illa occulta civium funera, et repentinae caedes in parentum aut liberorum sinum, fuga mulierum et puerorum, vastatio domorum, ante partam a te victoriam saeva atque crudelia erant! Ad quae te illi iidem hortantur: et scilicet id certatum esse, utrius vestrum arbitrio iniuriae fierent; neque receptam, sed captam a te rempublicam, et ea caussa exercitus stipendiis confectis, optumos et veterrumos omnium, advorsum fratres parentesque, alii liberos, armis contendere, ut ex alienis malis deterrumi mortales ventri atque profundae libidini sumptus quaererent, atque essent opprobria victoriae, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te praeterire puto, quali quisque eorum more aut modestia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit, quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerint nonnulli, quorum aetas ne per otium quidem tales voluptates sine dedecore attigerit.

5. De bello satis dictum. De pace firmanda, quoniam tuque et omnes tui agitatis, primum id, quaeso,

---

*sanguine sanguinem expiandum.* G. *sanguinem sanguine expianda.*

§. 4. *oblivio abstulit.* Sic antiquae. Gerl. *obl. intercepit.*

*vastatio domorum.* Gerl. *vastatio domuum.*

*et scilicet id certatum esse*, h. e. quasi vero eam ob causam certatum esset, ut decerneretur, utrius etc.

*exercitus stipendiis confectis* sunt exercitus compositi ex militibus veteranis, emeritis iam stipendiis.

*alii liberos*, h. e. imo contra filios suos adeo quosdam pugnare.

*deterrumi mortales*, non optimi ex factione, sed pessumi, crudelissimi, flagitiosissimi.

*essent opprobria victoriae:* atque ut quidam sese extollerent in victoria probrosi homines, qui dedecorarent eam, et quorum etc.

*te praeterire puto*, i. e. q. te fugere existimo, tibi ignotum esse.

*exercuerint*, h. e. in scortis atque conviviis dies noctesque egerint. — *quorum aetas* sc. exacta iam. — *per otium*, i. e. pacis tempore.

§. 5. *agitatis*, h. e. cupitis pacem.

considera, quale id sit, de quo consultas: ita, bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existumo; quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanae fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos; ita defessos et exsangues regi aut nationi praedae futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctae gentes conglobatae, movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt et concordiae bona, et discordiae mala expellenda. Id ita eveniet, si sumptuum et rapinarum licentiam dempseris; non ad vetera instituta revocans, quae iam pridem, corruptis moribus, ludibrio sunt; sed si suam cuique rem familiarem finem sumptuum statueris: quoniam is incessit mos, ut homines adulescentuli sua atque aliena consumere, nihil lubidini atque aliis rogantibus denegare, pulcherrumum putent: eam virtutem et magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro socordia, aestument. Ergo animus ferox, prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in cives: movet composita et res novas veteribus acquirit. Quare tollendus foenerator in posterum, uti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo, non creditori, gerere; et magni-

---

*bonis malisque dimotis*, i. e. segregatis, discretis inter se; ubi probe, quae bona quaeque mala sint, perpenderis.

*orta omnia intereunt.* Sic Iug. cap. 2. *omnia orta occidunt, et aucta senescunt.*

*qua tempestate*, pro: quo tempore, ut crebro apud Sallustium.

*regi aut nationi*, sc. exteris. Nam de rege aut imperatore Romano, qui evenit, non videtur cogitasse.

*ad vetera instituta*, ad veterum leges circa haec latas. — *corruptis moribus*, quia nimium iam luxuria provecti sumus. Intelligit autem leges, Liciniam, Fanniam, Didiam, alias.

*aliis rogantibus*, i. e. amicis, adulatoribus petentibus.

*ubi consueta*, h. e. ubi deficiunt opes, quibus more consueto lubidinibus obtemperent.

*movet composita*, i. e. turbat statum civitatis pacatum.

*res novas veteribus acquirit*, mala malis cumulat.

*foenerator*, h. e. operam dandum, ut ne amplius opus sit foeneratoribus. Cui rei quomodo prospexerit Caesar, legitur apud Tacitum Annal. VI. 16. 17.

*populo*, i. e. nonnisi eo, ut populo vere consulatur, non autem, ut lites diiudicet inter creditores ac debitores.

tudinem animi in addendo, non demendo reipublicae ostendere.

6. Atque ego scio, quam aspera haec res in principio futura sit, praesertim iis, qui se in victoria licentius liberiusque, quam artius, futuros credebant. Quorum si saluti potius, quam lubidini, consules; illosque nosque et socios in pace firma constitues: si eadem studia artesque iuventuti erunt, nae ista egregia tua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis caussa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci an vicisse, quid rétulit? Quare capesse, per deos, rempublicam, et omnia aspera, uti soles, pervade. Namque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles poenas aut acerba iudicia invocat, quibus civitas vastatur magis, quam corrigitur; sed ut pravas artes malasque libidines ab iuventute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse, ne merito cives patria expellerentur; retinuisse ab stultitia et falsis voluptatibus; pacem concordiamque stabilivisse; non, si, flagitiis obsecutus, delicta perpessus, praesens gaudium cum mox futuro malo concesseris.

7. Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxume fretus est, negotii magnitudine, et quia tibi terrae et maria simul omnia componenda sunt. Quippe res

---

*in addendo, non demendo.* Nam ubi foeneratoribus prospicitur aut consulitur, ibi demitur civibus, minuiturque respublica, cuius salus nititur salute civium.

§. 6. *quam aspera*, i. e. difficilis et aegre perficienda.

*quam artius futuros*, h. e. quam parcius victuros. Locutio mere Sallustiana. Sic *laxius licentiusque* in Iugurtha; et alibi: *asperius acerbiusque fuit.*

*si eadem studia.* Gerl. *sin ead. st.* Sed aliquoties *si* pro *sin* positum legitur. Sensus: sin ea libido ad iuventutem etiam porro propagetur.

*pervade,* i. e. vince atque supera.

*ab iuventute prohibeas*, i. e. removeas, arceas.

*pacem concordiamque.* Gerl. omissa *que* copula.

§. 7. *Ac mihi animus*: Ego vero in hoc maxime fretus sum magnitudine rei difficultateque, quia, quo quid est maius difficiliusque, eo magis tu ad illud perficiendum incitari soles, cui orbis terrarum sit componendus.

parvas tantum ingenium attingere nequit: magnae curae magna merces est. Igitur provideas oportet, uti plebs, largitionibus et publico frumento corrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: inventus probitati et industriae, non sumptibus neque divitiis studeat. Id ita eveniet, si pecuniae, quae maxuma omnium pernicies est, usum atque decus demseris. Nam saepe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent; quaeque res populos nationesve magnis auctibus auxissent; ac deinde, quibus caussis amplissuma regna et imperia corruissent: eadem semper bona atque mala reperiebam, omnesque victores divitias contempsisse, et victos cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese et divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecuniae et corporis gaudiis, animo indulgens, non assentando neque concupita praebendo, perversam gratiam gratificans; sed in labore, patientia bonisque praeceptis et factis fortibus exercitando.

8. Nam domum aut villam exstruere, eam signis, aulaeis, aliisque operibus exornare, et omnia potius, quam semet visendum, efficere; id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere, mos est, ubi animum, quem dominari dece-

---

*attingere nequit.* G. *nequiret.*

*habeat negotia sua*, h. e. ne otiosa degat. Hinc enim plura mala in republica. Sic et apud Aegyptios, ut auctor est Herod. lib. II., et apud Athenienses a Dracone et postea Solone huic rei legibus erat prospectum.

*magnis auctibus.* G. *magnis auctionibus.*

*bona atque mala*, h. e. lubidinem, avaritiam, luxuriam semper malo, contra temperantiam, modestiam, virtutem semper bono fuisse civitatibus.

*et victos cupivisse*, i. e. et eos, qui cupierint eas, succubuisse victoribus.

*animo indulgens.* Vacillare videtur in his constructio; nisi explices per: animum vere excolens. Sed et sequentia turbant: *perversam gratiam gratificans.*

§. 8. *eam signis.* Gerl. *eamque signis.*

*quam semet visendum*, h. e. res externas opesque et divitias, nullam autem virtutem ostentare, neque ingenium. In his enim vere homo cernitur.

*bis die.* Apud Romanos enim non moris fuit, plus semel per

bat, servitio oppressere, nequaquam eò postea hebeti atque claudo, pro exercito uti volunt. Nam imprudentiâ pleraque et se praecipitant. Verum haec et omnia mala pariter cum honore pecuniae desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupiunda venalia erunt. Ad hoc providendum est, quonam modo Italia atque provinciae tutiores sint: id quod factu haud obscurum est. Nam iidem omnia vastant, suas deserendo domos et per iniuriam alienas occupando. Item ne, uti adhuc, militia iniusta aut inaequalis sit, quum alii triginta, pars nullum stipendium faciet; et frumentum id, quod antea praemium ignaviae fuit, per municipia et colonias illis dare conveniet, quum stipendiis emeritis domos reverterint. Quae reipublicae necessaria tibique gloriosa ratus sum, quam paucissumis absolvi. Non peius videtur, pauca nunc de facto meo disserere. Plerique mortales ad iudicandum satis ingenii habent aut simulant: verum tamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus; vix satis apertum os aut lingua prompta videtur, quae edita pectore evolvat; quibus me sub-

---

diem solenni ritu coenáre. Si quid mane comedebant, exiguum erat, ut apud plerosque calidiores terras incolentes.

*pleraque et se*, i. e. et se et rempublicam, aut rem familiarem suam perditum eunt.

*pariter cum honore*, h. e. simul ac pecuniae honor dematur nimius.

*providendum est*. G. *prov. est tibi*.

*Nam iidem*, sc. illi obaerati, libidinosi, divitiarum studiosi. — *suas deserendo domos*, sc. propter aes alienum.

*Item ne*, sc. providendum est.

*quum alii triginta*. Quot annis aliquis militaverat, tot ille fecisse stipendia dicebatur. Aetas autem militaris erat ab anno decimo septimo ad quadragesimum sextum, lexque iubebat, ut intra hos annos quisque impleret stipendia viginti. Cf. Lips. de re milit.

*quum stipendiis emeritis*. Gerl. *qui st. emeritis*. De coloniis vide epistolam alteram.

*Non peius videtur*, i. e. non minus consultum videtur.

*verum tamen*. G. *verum enim*.

*quae edita pectore*. G. *quae meditata pectore*, quod Putschius habet. Antiquiores *dicta*, quod accipi pro dictatis possit. Nostrum Achilles Tatius in cod. Vat. invenit, indeque fecit *meditata*.

iectum haud poenitet: magis reticuisse pigeret. Nam sive hac, seu meliore alia via perges; a me quidem pro virili parte dictum et adiutum fuerit. Reliquum est, optare, uti, quae tibi placuerint, ea dii immortales approbent beneque evenire sinant.

---

## EPISTOLA II.

1. Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit, consilium dare regi aut imperatori, postremo cuiquam mortali, cuius opes in excelso sunt: quippe quum et illis consultorum copiae adsint, neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens sit. Quin etiam saepe prava magis, quam bona, consilia prospere eveniunt, quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adulescentulo, rempublicam capessere; atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita, ut magistratum modo caperem,

---

*me subiectum haud poenitet:* non adeo eorum me poenitet, ut, veritus malitiam, quae vera et utilia iudicem, reticescam.

Epist. II. §. 1. Hanc Carrio, qui primus collegit fragmenta Historiarum Sallustii, priorem loco posuit, et eam, quae apud nos prior legitur, posteriorem, inter fragmenta incerta. Idem dubitat utrum Sallustii sint, nec ne, praesertim quum a nullo Grammaticorum mentio earum fiat. Motus tamen est, ut adiungeret, auctoritate codicis Vaticani, in quo hae quoque, una cum reliquis orationibus et epistolis ex Historiarum libris servatae reperiuntur. De tempore difficile est, certi quid constituere. Verum si sumas, auctorem, quae prius laxius uberiusque scripserit, post in brevius contraxisse, et quae non ex re sibi visa fuerint, omisisse, sane et in epistolis quaedam insunt historica, quae hoc Carrionis iudicium, si non omni dubio eximant, at haud improbabile reddant. Ipse enim huius nullam rationem reddidit. Cf. not. ad §. 3. et 4.

*mihi studium fuit.* Hic si auctoris menti obversatus est locus Cat. 3., ubi a studio ad rempublicam sese latum esse declarat Sallustius, lapsus est. Nam illud studium plane secus intelligendum esse, et praep. *a* (quam tamen alii omisere,) et locus in Iug. cap. 4. probat, ubi est: *memet studium meum laudando extollere.* Ut igitur hic Pseudosallustius quodammodo iam in limine videatur deprehendi.

quem multi malis artibus adepti erant, sed etiam, ut rempublicam domi militiaeque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitam habuerim. Itaque mihi, multa cum animo agitanti, consilium fuit, famam modestiamque meam post tuam dignitatem habere, et cuius rei libet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriae accederet. Idque non temere aut ex fortuna tua decrevi, sed quia in te, praeter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in advorsis, quam in secundis rebus, animum esse. Sed per ceteros mortales illa res clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quae gloria digna essent.

2. Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. Neque ego, quae visa sunt, de republica tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius aequo probaretur: sed inter labores militiae, interque praelia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id modo in pectore consilii est, ut te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra advorsum Consulem beneficia populi retineas: indigna virtute tua cogites. Sin in te ille animus est, qui iam a principio nobilitatis factionem disturbavit, plebem Romanam ex gravi servitute in libertatem restituit, in

---

*quem multi malis artibus ad. erant.* Concinunt haec cum iisdem illis, quae disserit Sallustius Iug. 3. et 4.

*domi militiaeque.* Gerl. *domi, militiae.*

*post tuam dignitatem habere*; h. e. tibi consilium dare, atque ita gloriae tuae prospicere, si vel ob eam rem in immodestiae crimen incidam.

*gloriae accederet,* Gerl. *gloriae acciderit.*

*ex fortuna tuā,* i. e. tamquam assentator, et quoniam secunda uteris fortuna; sed quia in te eam magnitudinem animi vidi, quae possit difficillima superare; quale est, remp. ordinare.

*illa res*, sc. magnitudinis tuae laus.

*quod prius defessi sunt.* Gerl. *quod pr. def. sint.*

§. 2. *mihi decretum est*, i. e. q. persuasum mihi habeo.

*tam ex alto*, i. e. tam reconditae scientiae aut sapientiae.

*contra advorsum consulem;* intelligi hic Pompeius debet, qui privatum ierat Caesarem beneficiis populi, postulando ut exercitum dimitteret.

praetura inimicorum arma inermis disiecit, domi militiaeque tanta et tam praeclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quicquam audeant, nisi de magnitudine tua: quin accipe tu ea, quae dicam de summa republica. Quae profecto aut [tu] vera invenies, aut certe haud procul a vero.

3. Sed quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus iaceret: quibus ille rebus rempublicam conturbavit, eisdem tibi restituendum est. Primum omnium summam potestatem moderandi de vectigalibus, sumptibus, iudiciis, senatoribus paucis tradidit; plebem Romanam, cuius antea summa potestas erat, nosque his quidem legibus in servitute reliquit. Iudicia, tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt, tamen iidem illi factiosi regunt; dant, adimunt, quae lubet: innocentes circumveniunt; suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant; quos commodum est, trahunt, rapiunt: postremo, tanquam urbe capta, libidine ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent. Sed homines

---

*inimicorum arma inermis*. Factum id circa seditionem Catilinariam, quum praetor Caesar adversarios haberet equites Romanos, vel cum contra decretum patrum ius dicere pergeret, donec ab armatis prohibitus, domum refugere cogeretur. Disiecit autem arma eorum animi constantia, qua effecit, ut ultro in integrum restitueretur. Cf. Suet. Caes. 14—16.

*queri quicquam audeant*. G. *fari quidquam audeant*.

*accipe tu ea*. G. *tu accipe ea*

*aut tu vera inv*. G. *aut vera inv*.

§. 3 *nihil maluit quam quod*. G. *nihil eo maluit, quod*.

*tela in manus iaceret*, h. e. ipse hostibus suis tela suppeditaret.

*restituendum est*, sc. rempublicam.

*moderandi*, h. e. decernendi. — *senatoribus paucis*, ita ut ex democratia oligarchiam faceret, populique libertatem tolleret.

*nosque*, h. e. senatum.

*tribus ordinibus*, h. e. patriciis, equitibus atque plebi.

*obstat*, h. e. non impedimento est.

*per servitium*, h. e. per infimae dignitatis et minimae virtutis homines, uti Sulla fecit et alii.

inertissumi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte atque alterius secordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam quae seditio ac dissensio civilis tot tamque illustres familias ab stirpe evertit? aut quorum umquam victoriâ animus tam praeceps tamque immoderatus fuit?

4. L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partes suas muniri intellegebat, tamen, paucis interfectis, ceteros beneficio, quam metu, retinere maluit. At hercule nunc cum Catone, L. Domitio, ceterisque eiusdem factionis, quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bona adulescentes, sicuti hostiae, mactati sunt; quum interea importunissuma genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequivere: non orbi liberi, non parentes exacta aetate, non gemitus virorum, luctus mulierum, immanem eorum animum inflexit, quin, acerbius in dies malefaciundo ac dicundo, dignitate alios, alios civitate eversum irent. Nam quid ego de te dicam, cuius contumeliam homines ignavissumi vita sua commutare volunt? Scilicet neque illis tantae voluptati est (tametsi insperantibus accidit) dominatio, quanto moerori tua dignitas: quin optatius habent, ex tua calamitate peri-

---

*forte atque alterius socordia.* Illi alteri socordes nulli alii esse possunt, quam ipsi quoque Pompeiani.

*tot tamque illustres.* Gerl. *tot umquam illustres.*

*aut quorum umquam victoriâ animus:* aut quo tempore umquam victores bello, tam immoderati in victoria fuere, quam hi antequam vincerentur? — Ex hoc omni autem loco clare apparet, scriptum esse libellum eo tempore, quo adhuc in Urbe dominabantur Pompeii asseclae.

§. 4. *partes suas muniri*, h. e. tametsi intelligebat, firmari posse partes suas, si hostes suos interfecisset.

*cum Catone*, *L. Domitio*, qui obnisi fuerant Pompeio Crassoque consulatum petentibus, de qua re cf. Plutarch. in vita Catonis min. c. 41. Ibi caedes facta eorum qui cum Catone fecerant, ipsi autem Cato Domitiusque dilapsi. Factum hoc anno 698. tertio anno postquam Caesar in Galliam ierat.

*cuius contumeliam:* qui si posset iniuria affici; *vita sua commut. vol.* i. e. vita adeo sua mercarentur.

*quanto moerori tua dignitas:* quod imperator Galliam nactus es provinciam.

culum libertatis facere, quam per te populi Romani imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciundum est, quonam modo rem stabilias communiasque. Mihi quidem quae mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii, probare, quae vera atque utilia factu putes.

5. In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut a maioribus accepi, in Patres et plebem. Antea in Patribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. Itaque saepius in civitate secessio fuit; semperque nobilitatis opes diminutae sunt, et ius populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat, quia nullius potentia super leges erat, neque divitiis aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat; humillumus quisque in agris aut militia, nullius honestae rei egens, satis sibi satisque patriae erat. Sed ubi eos, paullatim expulsos agris, inertia atque inopia incertas domos habere subegit, coepere alienas opes petere, libertatem suam cum republica venalem habere. Ita paullatim populus, qui dominus erat et cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est, et pro communi imperio, privatam sibi quisque servitutem peperit. Haec igitur multitudo, primum malis moribus imbuta, deinde in artes vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rempublicam. Ceterum additis novis civibus,

---

*ex tua calamitate periculum libert. fac.*, h. e. tuam potentiam subvertere, quo simul subvertatur communis libertas, quam tu defendis.

§. 5. *quia nullius potentia super leges erat*, sc. olim. Hoc enim fundamentum quasi fuit libertatis, quod omnes pariter legibus erant subiecti. Ex quo enim potentia paucorum ita crevit, ut potior fieret legibus, actum erat de libertate.

*paullatim expulsos agris*, sc. suis propriis; expulsos autem a colonis, e. c. Syllanis.

*qui dominus erat et cunctis g. i.* Gerl. omittit verba: *erat et*, quae leguntur in antiquis edd.

*privatam sibi quisque.* Gerl. *privatim sibi qu.*

*ad capessendam remp.*, h. e. ad remp. restituendam, ad revocandam veram libertatem in civitate. Hoc enim vult auctor effici per Caesarem, eumque ipsum vere id spectare existimat.

*additis novis civibus*, h. e. si coloni ex illis hominibus fiant,

magna me spes tenet, fore ut omnes expergiscantur ad libertatem: quippe quum illis libertatis retinendae, tum his servitutis amittendae cura orietur. Hos, ego censeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis constituas: ita et res militaris opulentior erit, et plebes, bonis negotiis impedita, malum publicum facere desinet.

6. Sed non inscius neque imprudens sum, quum ea res agetur, quae saevitia quaeque tempestates hominum nobilium futurae sint, quum indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo: malum facinus in se committere, qui incommodo reipublicae gratiam sibi conciliet; ubi bonum publicum etiam privatim usui est, id vero dubitare adgredi, socordiae atque ignaviae duco. M. Livio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate; neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent. Sed, homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt, per unum hominem maxumum beneficium multis mortalibus dari: videlicet et sibi quis-

---

si in colonias mittantur. Coloni enim cives erant Romani, in eoque differebant a municipibus, qui suo quidem iure peculiari utebantur, non autem vere erant cives R. Cf. Gell. 16,13.

*permixtos cum veteribus*, sc. colonis seu civibus; *novos*, sc. cives, ut paullo supra dixit.

*in coloniis*, quae duplicis erant generis, vel militares vel civiles. Fecit autem hoc Caesar, finito bello civili, uti legitur apud Suet. Caes. cap. 42. Primus illud fecerat Gracchus.

*bonis negotiis impedita*, i. e. bonis negotiis occupata, prohibebitur a malis artibus, et civitatem turbare desinet.

§. 6. *quaeve tempestates*. Gerl. *quaeque tempestates*.

*multitudo*, sc. novorum civium, in coloniis constitutorum.

*in se committere*. G. *in se admittere*.

*M. Livio Druso*, de quo uberius exposuit Velleius libro II, cap. 13. et 14. Acta autem haec res est medio tempore inter sextum Consulatum Marii (654) et initium belli Marsici, quod coepit a. 663.

*beneficium maximum*. Dare enim civitatem Italiae cogitabat, ut refert Vell. II, 14., idque eo, ut indicia, quae tum per Gracchanas leges penes equites erant, senatui restituerentur. Illud autem iam C. Gracchus facere intenderat. Vell. II, 6.

que conscius, malo atque infido animo esse, de M. Livio Druso iuxta ac de se existumaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nixi, sua et ipsius consilia disturbaverunt. Quo tibi, imperator, maiore cura fideque amici et multa praesidia paranda sunt.

7. Hostem adversum deprimere, strenuo homini haud difficile est: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris: quoniam quidem revocata plebes erit, in ea re maxume animum exercitato, ut colantur boni mores, concordia inter veteres et novos coalescat. Sed multo maxumum bonum patriae, civibus, tibi, liberis, postremo humanae genti pepereris, si studium pecuniae aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neque domi neque militiae regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonae, neque ingenium ullum satis pollet: quin animus, magis aut minus mature, postremo tamen succumbit. Saepe iam audivi, qui reges, quae civitates et nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quae per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud mirandum est. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum magisque acceptum videt, primo aestuat multaque in pectore volvit: sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatem a vero deficit. Quippe gloriâ industria

---

*sibi quisque conscius* etc., quia ipsi sibi conscii erant, se non reip. salutem, sed suam magnitudinem spectare.

*iuxta ac de se*, i. e. eum suae modo magnitudini consulere.

§. 7. *Hostem advorsum deprimere.* Gerl. *host. adv. opprimere.*

*bonis in promptu est*, h. e. boni ut non cogitant de faciendo aliis periculo, ita saepe ipsis non in promptu est, ea vitare. Igitur et consilia bona danda, et prospiciendum futuris malis, ne eveniant.

*eos in civitatem*, sc. illos novos colonos, cives factos.

*revocata*, i. e. restituta, liberata, aucta potestate.

*Saepe iam audivi.* Haec forma loquendi paullo ieiunior videtur stilo Sallustiano. Ille ait: *sed mihi multa legenti, multa audienti*, etc. Cat. 53.

*gloria honorem;* *gloria*, sc. rebus externis parta; *honorem*, sc. verum, virtute partum. Malim tamen legere: *gratia hon.*

alitur; ubi eam demseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremo ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una et ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: et malis et bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniae demito: neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit, sic, ut neque praetor neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de magistratu facile populi iudicium fit. Iudices a paucis probari, regnum est; ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnes primae classis iudicare placet, sed numero plures, quam iudicant. Neque Rhodios, neque alias civitates umquam suorum iudiciorum poenituit, ubi promiscue dives et pauper, ut cuique sors tulit, de maxumis rebus, iuxta ac de minumis, disceptat.

8. Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur. Ita coaequati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit. Haec ego magna remedia contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur atque appetuntur, ut earum rerum usus est: malitia praemiis exercetur. Ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est. Ceterum avaritia bellua fera,

---

*ex copiis*, h. e. ex divitiis.

*sic, ut neque pr.* Gerl. *ita ut neque pr.*

*iudicium fit.* Gerl. *iudicium sit.*

*a paucis probari*, i. e. allegi. — *regnum est*, i. e. regii est imperii aut moris.

*omnes primae classis*, h. e. qui C. et XXV. millia aeris censi erant et classici vocabantur. Cf. Gell. 7, 13.

*numero plures, quam iudicant.* Videtur innuere, praeter primam classem, cuius omnes vult iudicare, etiam ex reliquis civium classibus iudices illis esse accensendos.

§. 8. *dignitate, pecunia;* potius *non pecunia*, *sed virtute.* Nam ad participium trahi *pecunia* nequit. Igitur aut eiiciendum, aut immutanda erit lectio.

*malitia praemiis exercetur* etc. Plane similia his leguntur apud Senecam de Benef. IV, 17. Cf. nostrum in oratione Philippi (p. 194.) *ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.*

immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: divina cum humanis permiscet: neque exercitus, neque moenia obstant, quo minus vi sua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat. Verum, si pecuniae decus ademeris, magna illa vis avaritiae facile bonis moribus vincetur. Atque haec ita sese habere, tametsi omnes aequi atque iniqui memorant: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est; cuius si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam hi, si virtute satis valerent, magis aemuli bonorum, quam invidi, essent. Quia desidia, et inertia, et stupor eos atque torpedo invasit; strepunt, obtrectant, alienam famam suum dedecus existumant.

9. Sed quid ego plura, quasi de ignotis, memorem? M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui consulatus, maxumum imperium, maxumo dedecori fuit? An L. Domitii magna vis est, cuius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces; quae honeste nominari nequeunt, inhonestissuma. Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum, haud

---

*divina cum humanis miscet*, h. e. nihil pensi habet. Nam *divina et humana* Sallustio idem significant, quod *omnia*, nec cogitandum de rebus ad religionem pertinentibus.

*memorent* i. e. q. iudicent. — *aequi atque iniqui*, sc. iudices. Similia et Cicero suadet in orat. pro Marcello.

*alienam famam s. d. existumant.* Gerl. *al. fam. bonam suum dedecus aestumant.*

§. 9. *M. Bibuli*, qui consul fuerat cum ipso Caesare, a. 695. Ceterum eum per ironiam hic virum fortem appellari quivis facile videt.

*in consulatum* pro: *in consulatu*, antiquo more, ut illud: *in provinciam*, Cat. 19. et: *in potestatem* Iug. 112. denique illud in priore epistola §. 4.: *in parentum aut liberorum sinum*, pro: *sinu.*

*Quid ille audeat*, sc. contra te aut contra libertatem.

*nequeunt.* Gerl. *nequeant.* Ceterum eadem verba occurrunt in declamatione in Ciceronem.

*L. Domitius* videtur esse L. Domitius Ahenobarbus, qui fuit consul cum Ap. Claudio Pulchro a. 700.

*versutum, loquax, callidum.* Apparet, haec dicta esse, quo detraheret eius honori, tamquam inimicus et Caesaris partium.

contemno. Parantur haec disciplina Graecorum. Sed virtus, vigilantia, labor, apud Graecos nulla sunt. Quippe quum domi libertatem suam per inertiam amiserint, censesne, eorum praeceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles: in quibus, sicut in statua, praeter nomen, nihil est additamenti. L. Postumius, M. Favonius mihi videntur quasi magnae navis supervacua onera esse: ubi salvi pervenere, usui sunt; si quid advorsi coortum est, de illis potissumum iactura fit, quia pretii minumi sunt.

10. Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda corrigendaque disserui: de senatu, quae tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi aetas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in literis [agitavi], quod natura firmius erat, in laboribus habui. Atque ego in ea vita, multa legendo atque audiendo, ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicumque gratia, ti-

---

*Parantur haec*, sc. versutia, loquacitas, calliditas.

*Quippe quum domi.* Gerl. *Quippe qui domi.*

*imperium haberi*, i. e. posse fieri, ut aliquis per eorum praecepta imperium vel assequatur vel tueri possit? Simile quid occurrit in oratione Marii, quae legitur Iug. cap. 85.

*M. Favonius.* De hoc cf. Liv. Suppl. 109, 43. 111, 41. 112, 8.

*de illis potissimum i. f.*, i. e. illi citissime dilabuntur.

§. 10. *in literis* [*agitavi*] etc. Gerl. *sed an. in literis agitavi; qu. n. f. e., id in l. h.*

*quod natura firmius erat.* Haec Gryphiana maior sic: *sed animum in literis, quòd natura firmus erat, in laboribus, habui;* accentu super vocali *o* in v. *quod* collocato, tamquam coniunctione, non relativo, ut sit sensus: quoniam animus natura firmus erat. Sane enim ad literarum studia maior requiritur firmitas animi. Hanc lectionem si sequaris, verba *in laboribus* tamquam appositio erunt accipienda ad *in literis.* Putschius eodem modo, nisi quod ante *in laboribus* omittit comma, ut unam sententiam faciant: *quod natura firmus erat in laboribus.* Sed Gryph. minor habet *firmius*, omisso *agitavi* et pron. *id.* Igitur vv. *quod natura firmius erat, in laboribus*, faciunt non oppositionem, sed appositionem ad *animum in literis*, declaratque auctor, se eam sui partem, quae firmior fuerit ad sustinendos labores, h. e. animum, in laboribus habuisse, h. e. exercuisse studendo, legendo, audiendo.

*omnia regna, civitates, nat.* Gerl. *omnia regna, item civ., nat.*

mor, voluptas ea corrupere, post paullo imminutae opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus imposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo, cuicumque in sua civitate amplior illustriorque locus, quam aliis, est, ei magnam curam esse reipublicae. Nam ceteris, salva urbe, tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem, pepererunt, ubi paullum inclinata respublica agitari coepit, multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem, defensat: omnibus locis adest, festinat: quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in advorsis asperius magisque anxie agitat. Igitur ubi plebs senatui, sicuti corpus animo, obedit, eiusque consulta exsequitur: patres consilio valere decet, populo supervacanea est calliditas.

11. Itaque maiores nostri, quum bellis asperrumis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt, armati de imperio certare. Non inopia aerarii, non vis hostium, non advorsa res ingentem eorum animum subegit, quin, quae virtute coeperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis, quam bonis praeliis, patrata sunt. Quippe apud illos una respublica erat, ei consulebant; factio contra hostes parabatur: corpus atque ingenium patriae, non suae quisque potentiae, exercitabat. At hoc tempore contra ea homines nobiles, quorum animos secordia atque ignavia invasit, ignari laboris, hostium, militiae, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque Patres, quorum consilio antea du-

---

*ei magnam curam esse reipublicae*, h. e. ei quam maxime curae esse, ut civitas tuta sit; eum magis reliquis de civitate tutanda cogitare.

*asperius magisque anxie agitat*, h. e. sollicitus est de republica, eique prospicit.

*consulta exsequitur.* Gryph. *consilia exsequitur.*

§. 11. *simul cum anima ret.*, h. e. cum vitae adeo periculo.

*ei consulebant.* G. *ei omnes consulebant.*

*contra ea*, h. e. contra atque olim sese gerebant, cum *unam rempublicam*, h. e. unice remp. curabant.

*domi factione instructi*, ut alias: *domi potentes*, sc. factione, uti Sullae tempore aut Pompeii evenerat.

bia respublica stabiliebatur, oppressi, ex aliena lubidine, huc atque illuc fluctuantes, agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt; uti eorum, qui dominantur, simultas aut gratia fert, ita bonum malumque publicum existumant. Quodsi aut libertas aequa omnium, aut sententia obscurior esset, maioribus opibus respublica et minus potens nobilitas esset. Sed quoniam, coaequari gratiam omnium, difficile est; quippe quum illis maiorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas; cetera multitudo pleraque insititia sit: sententias eorum a metu libera: ita occulto sibi quisque alterius potentiâ carior erit. Libertas iuxta bonis et malis, strenuis et ignavis, optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt, stultissumi mortales. Quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si, numero auctus, per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine et praesidii plus, et usus amplior est. Nam fere his tempestatibus, alii iudiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane reipublicae consiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio, quam superba imperia, dis-

---

*existumant.* Gerl. *aestumant.*

*aut sententia obscurior esset*, h. e. si suffragia non voce, sed per tabellas ferrentur. Ita enim, quoniam obscurum est, a quo sit profecta, eo liberius feretur sententia. *Libertas* est: studium seu potestas, libere sententiam ferendi.

*insititia*, i. e. nova accessit, et quasi inquilina. Ceterum antiquae edd. habent: *inscia.*

*occulto sibi quisque alterius pot. carior erit:* quoniam occulto fit, quisque potius sententiam libere feret, quam alterius potentiae serviet in ferendo. Gerl. *occulte.*

*Quod in cert. dubium est.* Gerl. omittit v. *est.*

*obtentui erit*, cf. orat. Philippi versus fin. (pag. 195.): *quia secundae res mire sunt vitiis obtentui*, h. e. secundae res favent vitiis, efficiunt, ut aliquis tuto possit in vitiis degere. Ita h. l. tabella securos praestabit. Sic Cicero in orat. contra Rullum tabellam vocat *vindicem tacitae libertatis*, c. 2.

*et usus amplior est*, i. e. peritia rerum, de quibus suffragia feruntur.

*occupatio*, h. e. privata sua negotia. — *quam superba imperia*, sc. nobilium.

timere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quaecumque lubuit, probare, reprehendere, decernere, ea, uti lubido tulit, facere. Verum ubi, numero senatorum aucto, per tabellam sententiae dicentur, illi superbiam suam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudelissume imperitabant.

12. Forsitan, imperator, perlectis literis, desideres, quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo in multa et varia officia distribuatur, et, quoniam iudicia primae classi mittenda putem, quae descriptio, qui numerus in quoque genere futurus sit. Ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit: sed prius laborandum visum est de summa consilii, idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promptu erunt. Volo ego consilium meum prudens maxumeque usui esse. Nam ubicumque tibi res prospere cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo et quamprimum respublica adiuvetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro hortorque, ne clarissumus imperator, Gallica gente subacta, populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate ac per summam secordiam dilabi patiaris. Profecto si id accidat, neque tibi nox neque dies curam animi sedaverit, quin, insomniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat,

---

§. 12. *quoque modo in multa.* Gerl. *quoque m. is in m.*

*et quoniam iudicia pr. cl. mittenda p.* G *cl. iudicia quoniam primae cl. committenda p.*

*haud difficile factu fuit*, ut in or. Macri ab init.: *multis mihi disserendum fuit*, pro: *fuisset* aut *esset*.

*probandum verum esse.* Intelligit illud de senatorum numero, de tabellis, de iudiciis.

*cupido exercet*, i. e. tenet, possidet, laborare iubet.

*Libertatem*, h. e. studium libere quid sentiam dicendi. Cf. Iug. 31. init.

*per summam socordiam*, videlicet non Caesaris, sed nobilium. Cf. §. 11.

*furibundus atque amens.* Declamatorem haec arguere videntur, ut plura in peroratione.

omnium mortalium vitam divino numine invisi: neque bonum neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi, sed, ex natura, divorsa praemia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem praebet.

13. Quod si tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet haec tibi dicerent: O Caesar, nos te genuimus fortissumi viri, in optuma urbe, decus praesidiumque nobis, hostibus terrorem. Quae multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris; domum familiamque in patria clarissumam; praeterea bonas artes, honestas divitias; postremo omnia honestamenta pacis et praemia belli. Pro his amplissumis beneficiis non flagitium a te neque malum facinus petimus; sed uti libertatem eversam restituas. Qua re patrata, profecto per gentes omnis fama virtutis tuae volitabit. Namque hac tempestate, tametsi domi militiaeque praeclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus aequalis est; si vero urbem amplissumo nomine et maxumo imperio prope iam ab occasu restitueris; quis te clarior, quis maior, in terris fuerit? Quippe si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur? Quodsi tibi bona libido fuerit, patriae, parentibus

---

*invisi.* Gerl. *invisier.*

*ex natura*, quemadmodum natura rerum ipsa fert. — *divorsa praemia.* Sic in orat. Catonis, Cat. 52.: *divorso itinere malos a bonis* etc.

*Interea forte ea t. pr.*, h. e. praemia illa poenaeve.

*suus cuique animus* etc.: interim quisque, prout sibi conscius est vel bene vel male egisse, praemia vel poenas exspectare debet.

§. 13. *Quodsi tecum patr.* Prosopopoeiam imitatur Platonis in Critone.

*fortissimi viri*, intellige parentes, i. e. maiores.

*ceperamus*, i. e. comparaveramus, ut nostra fierent effeceramus.

*non flagitium a te neque malum f.*, intellige regnum aut tyrannidem.

*morbo aut fato*, h. e. si intestinis malis fiat, ut resp. Rom. corruat; aut si aetate quasi confecta concidat.

*patriae, parentibus.* Scriptor si hoc omni loco in iungendis patria parentibus ob oculos habuerit locum in Iugurthino, c. 3.

gratificandi: posteroque tempore, republica restituta, super omnis mortalis gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, saepe invidia, fatigat: ubi anima natùrae cessit, demptis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit.

Quae mihi utilia factu visa sunt, quaeque tibi usui fore crédidi, quam paucissumis potui, perscripsi. Ceterum deos immortalis obtestor, uti, quocumque modo ages, ea res tibi reique publicae prospere eveniat.

---

ubi est: *Nam vi quidem regere patriam aut parentes* etc. aperte credas Pseudocrispum deprehendi. Nam ibi parentes sunt subiecti, hic autem genitores aut maiores. Ceterum illud certum videtur, scriptam esse hanc epistolam cogitandum esse, quum adhuc in Gallia esset Caesar; quo tempore nondum conditum erat bellum Iugurthinum ab Sallustio.

*posteroque tempore.* Sic Gryph. maior. Respondet alterum: *tuaque unius*, ut sit: et per reliquam tuam vitam gloria tua super omnes mortales erit agnita, et, si naturae cesseris, mors vitâ clarior erit. Gerl. *postero tempore*, omissa *que*, uti Gryph. minor et Putschius. Sed illa dicendi forma frequens est Sallustio.

*prospere eveniat.* Gryph. maior; *pr. veniat.* Nostrum minor et Putsch.

# C. SALLUSTII CRISPI
# IN M. TULLIUM CICERONEM
# ORATIO.

Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis, quam morbo animi ista tua petulantia uti. Sed quum in te neque modum neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi; ut, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, P. C. diripi rempublicam, atque audacissimo cuique esse perfidiae [locum]? An apud populum R., qui ita corruptus est largitionibus, ut sese ac fortunas suas venales ha-

---

*Graviter et iniquo* etc. Non omittendum duxi ob ridiculam aliquorum meticulositatem, qui opinati sunt, detrahi, si receperint, aliquid posse magni Arpinatis aut ipsius Sallustii gloriae, insigne hoc artis oratoriae, summo affectu conspicuae, monumentum, quod ipse Quintilianus libro IV. Institutionis or. Sallustii esse dicit. Quod an integrum habeamus, possit aliquis dubitare, quia abruptior finis videatur; nisi hoc quoque affectui tribuendum censeas. Quodsi integrum potius esse sumamus, ex argumento rebusque, quae in eo commemorantur, iudices, dictum esse scriptumque circa annum U. c. 700., quo tempore Cicero admodum favebat Caesari, tum in Britannia bellum gerenti, cuius in Gallia legatus erat Q. Cicero, Marci Tullii frater. Eodem enim anno Cicero etiam pro Vatinio dixit, quum paucis annis ante contra eundem. Quae res in fine invectivae commemorantur. — Ciceronis quae fertur responsio, ulteriora prosequitur, quum de praetura Sallustii agat, quam ille anno demum 708. iniit. Unde sequitur, aut Sallustii orationem non integram exstare, aut illam Ciceroni esse suppositam.

*ista tua petulantia uti.* Gerl. omisit *tua.* Nostram habet Gryph. maior et Ingolst.; minor contra cum Putschio: *petulantia ista uti.*

*Sed quum in te.* Sic et Ingolstadiensis et Gryphiana maior et Gerl., ut infra: *quum in ea domo habitas.* Al. *Sed quoniam.*

*esse perfidiae [locum].* Vocem *locum*, quae et in Gryph. mai. et in Ingolst. legitur, omittit minor et Putsch. et Gerl.

*corruptus est largitionibus.* Sic maior Gryph. cum Ingol-

beat? an apud vos, P. C., quorum auctoritas turpissumo cuique et sceleratissumo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, iudicia populi Romani defendit, atque in [hoc] ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissumi Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, ac paullo ante insitus huic urbi civis. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? an scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiae iactura perdidicisti? Itaque minime mirandum est, si eam flagitiose venditas, quam turpissume parasti. Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit; uxor sacrilega, ac periuriis delibuta; filia matris pellex, tibi iucundior atque obsequentior, quam parenti par est: domum ipsam tuam vi et rapinis, funestam tibi ac tuis, comparasti: videlicet ut nos commonefacias, quam conversa respublica sit, cum in ea domo habitas, homo flagitiosissume,

---

stadiensi. Minor cum Putschio et Gerl. *larg. corr. est.* In sequentibus quidam post *sese* habent *ipse.*. Sed recte illud inclusit Nobbius, qui hanc invectivam cum responsione Ciceroniana habet post fragmenta Ciceronis (in editione min. vol. X. p. 407.)

*in* [*hoc*] *ordine.* Pronomen *hoc* omittitur et in Gryph. et Ingolst., habent minor, Putschius, Gerlach.

*ac non reptitius.* Sic Gryph. utraque cum Ingolstadiensi, et Putsch. et Gerl. Ad minoris Gryphianae marginem adscriptae sunt: *irrepticius* et *repetitius*, quam posteriorem recepit Nobbius.

*an scilicet istam immoderatam.* Coni. *an* habent utraque Gryphiana et Ingolst., omisit Putschius et Gerl., Nobbius inclusit. — M. ille Piso autem amicus erat Ciceronis, quicum et cum Q. Pompeio ille in dialectica utebatur doctore Diodoto Stoico, uti narrat ipse in Bruto.

*splendor domesticus*, videlicet ironice hic dictus. Sensus: non est, quod tantopere te attollas ob splendorem dom.

*quam conversa resp. sit.* Hoc ordine Gryph. mai. et Ingolst., contra minor et Putsch. et Gerl. *quam conv. sit resp.*

*quum in ea domo habitas.* Sic Putschius et Gryph. minor, cum maior et Ingolst. habeant: *qu. in ea d. habitares*, quod Gerl. et Nobbius. Sed et ab initio in antiquis legitur: *cum in te neque modum — animadverto*, et habitabat etiam tum in ea domo Cicero, licet recens aedificata, cum eam incendisset Clodius, areamque Libertati consecrasset. De quo ipse Tullius in Pisonem haec: *me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam incenderas, Pontifices, Consules, P. C. collocaverunt*, etc.

quae P. Crassi, viri consularis, fuit. Atque haec cum ita fint, tamen Cicero se dicit in consilio deorum immortalium fuisse; inde missum huic urbi civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit: quasi vero non illius coniurationis caussa fuerit consulatus tuus, et idcirco respublica disiecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de republica consuluisti: cum legis Plautiae iudicia domi faciebatis: ex coniuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam aedificabat, alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus; is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat. Quae si tibi falsa obiicio; redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanam et Pompeianam infinito sumtu aedificaveris. Aut si retices, cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine et visceribus civium paraveris? Verum, ut opinor, homo novus, Arpinas, ex C. Marii familia, eius virtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium; populi Romani curam habet; neque

---

*in consilio deorum imm. fuisse.* Sic Ingolst. Gryph. minor, et Putschius. Gryph. maior, Gerl., Nobb.: *in concilio.* — Referenda haec videntur ad ea, quae de Consulatu suo condiderat Cicero. Cf. Fragmenta Cic. ed. Nobb. p. 384 sqq.

*absque carnificis nomine*, sc. foret. *nomine* i. q. titulo, culpa, reprehensione. — *qui* sc. carnifex. — *civitatis incommodum*, h. e. civium supplicium.

*quo te custodem habebat.* Consentiunt in hac l. edd. Gryphianae, Ingolst. et Putschius Gerlachiusque. Commodior tamen: *quod te c. h.* uti habet Nobbius.

*Legis Plautiae*, quae de vi publica lata erat.

*Tusculanam, al. Pomp.* Gryph. utraque, Putsch., Cort., Nobb. *Tusculanam, al. Pompeianam.*

*de eo tibi compertum erat*, sc. commisisse eum aliquid.

*Tusculanam et Pomp.*, sc. villam. Sequor Ingolst., quum reliqui *Tusculanum et Pompeianum*, neutro genere.

*ex C. Marii familia.* Is enim Arpino erat oriundus.

*contemnit simultatem h. n.*, ut fecit Marius. Cf. Iug. 85.

terrore neque gratia commovetur. Illud vero amicitiae tantum ac virtutis est animi? Immo vero homo levissumus supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum modo illarum partium, fidus nemini, levissumus senator, mercenarius patronus; cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat: lingua vana, manus rapacissumae, gula immensa, pedes fugaces, quae honeste nominari non possunt, inhonestissuma. Atque is, cum eiusmodi sit, tamen audet dicere: O fortunatam natam me consule Romam! Te consule fortunatam, Cicero? imo vero infelicem et miseram, quae crudelissumam proscriptionem civium perpessa est; quum tu, perturbata republica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas; quum omnia iudicia, omnes leges, in tua lubidine erant; quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivisci servitutis suae. Egeris, oro te Cicero, perfeceris quod libet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostras odio tu onerabis? etiamne molestissumis verbis insectabere? Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Quasi vero togatus, et non armatus, ea, quae gloriaris, confeceris; atque inter te Syllamque dictatorem praeter nomen imperii quidquam interfuerit. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Iuppiter optumus maxumus in consilio deorum admisit, Italia exsulem humeris

---

*amicitiae tantum, ac virt. est an.*, h. e. amicitia aut virtute animi eo compulsus est, ut Marium imitaretur? Gerl: *removetur: Aliud vero amicitia tua ac virtus est animi.*

*pedes fugaces* referendi videntur ad fugam Ciceronis, qua cessit furori Clodii, trib. pl.

*sublata lege Porcia*, de qua cf. Cat. 51.

*Atque parum est.* Putschius: *Atqui p. e.*

*odio tu onerabis.* Ita Gryph. maior et Ingolst. Minor cum Putschio: *odio tuo*, quod recepit Nobbius. Gerl. autem: *odio tui.* Odio i. e. q. taedio illarum rerum.

*Minerva omnes artes edocuit.* Ingolst. *docuit.* — Haec ad eadem illa referenda videntur, quae de consulatu suo cecinerat Tullius.

suis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, quia egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones, superasti; quem tandem locum in hac civitate obtines? quae tibi partes reipublicae placent? quem amicum, quem inimicum habes? Cui in civitate fecisti insidias, ancillaris. [quo iure, cum de exsilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequeris]. Quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faves. Qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas. Vatinii caussam agis: de Sextio male existumas; Bibulum petulantissumis verbis laedis: laudas Caesarem: quem maxume odisti, ei maxume obsequeris: aliud stans, aliud sedens de republica sentis: his maledicis, illos odisti, levissume transfuga; neque in hac, neque illa parte fidem habes.

---

*quia egregia tua virt.* Praeplacet *quia*, quod habet Ingolst., ceterae: *qui*.

*ancillaris.* Admodum variat h. l. interpunctio. Ingolst. post *ancillaris* habet sign. interrogationis, Gryph. minor Putschiusque punctum, ut *ancillaris* sit altera persona verbi *ancillor*, quod vetus Schol. expl. per: κολακεύειν. Gerl. colon ponit, ut *anc.* sit vocativus aut appositio, sequentiaque apodosin faciant. Nobbius uncis inclusit verba *quo iure — seque[ba]ris*? Gryph. maior et Ald. habet: *insidias ancillares*: In seqq. Ingolst., Putsch., Gryphiana: *sequeris?* Gryph. maior et Gerl. *sequebaris?* V. *ancillaris* pro verbo videtur habuisse auctor responsionis, qui haec habet: *Non enim uni privatim ancillatus sum.* Quod faceret pro Nobbio; intelligendusque tum foret Caesar, cui fecerit insidias. Sin sequamur Gerlachium aut Gryph. maiorem, insidiae Pompeio factae censendae sint. *Sequeris* potest esse dictum pro *sequebaris*, tamquam praesens historicum. Ceterum illud *quo iure* videtur alienum esse. Cod. Leidensis habet: *quem dilexisti, persequeris.*

*Vatinii*, contra quem paucis annis ante egerat, consulibus Lentulo et Philippo.

*de Sextio*, pro quo eodem illo anno steterat.

*neque illa parte.* Plerique: *neque in illa p.* Sed alteram *in* omisit Ingolst., atque similiter passim Sallustius.

*fidem habes.* Gerl. ex codd. *fidem habens*, ut et Aldina, quae in ceteris plerisque cum Gryph. maiore concinit.

# LECTIONIS ALDINAE

## D. A. 1521. AB NOSTRA DIVERSITAS.

Catil. Cap. 1. Omneis — transeant — cum belluis comm. — rectius esse v. — inter mortaleis — res magis militaris — 2. urbeis atq. nat. — tum demum — ut bello valeret — his artibus — Eorum ego vitam — is mihi vivere demum, atque fr. — 3. sunt exaequanda — malevolentia et i. — reliquis malis moribus. — 4. colendo agrum. — 5. cuiuslibet rei — utque paullatim — ex pulcherrima pessuma. — 6. habuere initio — incertis sedibus — parenteisque armis protegere — imperium regium — se convertit. — 8. negotiosus maxime — et sua ab aliis. — 9. discordias, simultates — Quarum rerum maxima. — 10. a stirpe — arteis bonas — deos negligere — promptum in lingua — factum. — 11. propius virtuti — corpus virile animumque eff. — quem in Asia ductaverat. — 12. malevolentia — quae fortissimi viri victores reliquerunt. — 13. maria constrata — viros pati mul. — non famem, non sitim, neque frigus, neque lass. — 14. flagitiorum atque facinorum — ventre, manu, pene bona p. dissipaverat — aut civili sanguine al. — Nam ut cuiusque — 15. et alia huiuscemodi — adultum aetate — mentem excitam vastabat — Igitur color eius exsanguis. — 16. signatores falsos — opp. Catilinae erant. — 17. P. Antonius — Lecca — facile apud eos se pr. f. — 18. L. Tullio — Catilina et Antronius — consilio communicato — L. Torquatum et L. Cottam — transtulerunt. — 19, potentia Gn. Pompeii — satis est dictum. — 20. tametsi multa cum singulis saepe egerat — Nisi virtus atque fides vestra satis spectata mihi foret — vindicamus in libertatem — paucorum potentium — Nobis reliquerunt pericula, rep. i. e. — o fortissimi viri — consenuere — divitias suas vincere — Fortuna ea omnia. — 21. mala omnia abunde e. — postulavere plerique ut — proscriptionem locupletum — atque libido victorum fert. — cum eo consule se initium agendi belli fact. — maledictis increpabat — Syllanae victoriae. — 22. addiceret — atque eo dictare fecisse. — 23. quem senatu censores probri gr. am. — nisi obnoxia foret — ex inso-

lentia C. — quae et quomodo audierat. — 24. mulieres aliquot etiam. — 25. praeterea viro, liberis — l. Graecis et Latinis. — 26. multa per Fulviam pollicendo — quas Consuli fecerat. — 27. se Manlium praemisisse. — 29 decrevit, ut darent operam. — 30. Igitur senatus decreto — circumque ea loca missi sunt. — si quis indicasset — facta erat; praemium — et sestertiorum ducenta millia. — 31. facies urbis erat — quibus pro reipubl. magn. — sive ira commotus — postulare a patribus coepit, ne quid de se t. — ita se ab adul. — Ad haec maledicta alia. — 32. Deinde se — multa ante capere. — 33. Saepe maiores nostri. — 34. Si quid a sen. — ea misericordia ac mansuetudine senatum et pop. R. — 35. liberalitas Aureliae Orestillae — honore honestatos. — 36. per paucos dies — in agro Reatino — sollicitatam ab eo, armis e. — 37. urbana plebs — ut regio cultu — si victoria in armis foret, talia sperabat — aliarum atque senatus partium. — 38. Gn. Pompeio (et sic saepius) — pleraque nobilitas Senatus, sub specie reip. pro sua magnitudine — post illa tempora — quo Senatus auct. — potentia certabat. — 39. In his erat Fulvius — parens iussit necari — usui bello foret. — 40. qua tanta mala ista — Brutus Roma aberat. — 41. plurimum civitas utebatur. — 42. quos ante Catilina — in citeriore Gallia. — 43. belli gravissimi invidia. — 44. quae iusserat. — 45. C. Promptinio — ponte Milvio — permittit illis homines mil. — cum Vulturcio venerunt — Promptinium. — 46. itemque Ceparium Terracinensem. — 47. socium accitum — P. Antonium — fatentur. At Lentulum — Senatus decrevit — in lib. cust. habeantur — 48. nimis bello favebat — Senatum docet — ex privatis negotiis obn. — a P. Antronio — immissum a Cicerone aiebant — a Cicerone paratam. — 49. Namque uterque graves cum illo inimicitias exercebant — sigillatim circumeundo — animi mobilitate. — 50. Libertini et pauci — electos et exercitatos — quid de iis fieri pl., qui in custodiis tr. er. — 51. qui reges atque populi — (pag. 43.) quod se dignum foret — ne plus apud vos valeat — his utendum censeo — composite ac m. — domos spoliari — An ut vos inf. — res tanta et tam atrox — (pag. 44.) Syllanum — certe scio — non videtur mihi crudelis — Syllane — De poena possum equidem — morte aerumnarum — (pag. 45.) Sin quia levius est — et alios eiusmodi — (pag. 46.) aut domum aut villam — paullo post ipsi traheb. — Atque ego hoc non — per Senatus decretum —

Hanc ego causam — Cap. 52. nihil reliqui fit victis — (pag. 48.) anima nostra in dubio est — ob eam causam adversos — sed haec cuiuscunque modi v. — (pag. 49.) si in tanto omn. m. — inter bonos et m. nullum discrimen est — (pag. 50.) Romano nomini ad bellum accersunt — etiam nunc, et dubitatis, qu. — in miseriam convertetur — ubi secordiae te — (pag. 51.) quoniam verba mea cont. — quidquam potest occulte — Quare ita censeo. — Cap. 53. sicut ille censuerat — multaque audienti — ac veluti effeta parentum — Sed mea memoria — duo viri. — 54. beneficiis ac munif. — miseris profugium erat — ubi virtus eius enit. — modestiae et decoris — nec factione — Itaque quo minus glor. pet., eo magis illam adsequebatur. — 55. optimum factu ratus — quae ad supplicium post. — ubi paullulum ascenderis — sed inculta tenebris, odore foeda, atq.— iudices rerum capitalium — exitium vitae inv. — 56. modo Galliam versus — magnas copias se habiturum — de Lentulo et Cethego — Pistoriensem adducit. — 58. Compertum habeo, milites — Nunc vero quo loco res — quibus corpus tegitur — maximum est per. — ne nos circumvenire queat — 59. quis tumultus causa — 60. maximo clamore infestis signis concurrunt. — res gladiis geritur — 61. pugnando vivus locum ceperat — paululum etiam adhuc.

Iugurth. Cap. 1. sorte potius — ceterasque bonas artes — neque regerentur magis casibus, quam regerent casus — 2. compositum e corpore — uti initium — dediti corporis gaudiis — per luxum atque ign. — sint artes animi — 3. per fraudem ius fuit — caedem, fugam aliaque host. — extremae dementiae est — 4. Ceterum ex his negotiis — conviviis gloriam quaerere — Nam saepe audivi Q. Max. — qui non divitiis — perinde quasi praet. — 5. deinde quia tum primum — initium expediam — cui postea cognomen — Deinde Micipsa filius eius regnum s. o. — Manastabale — Manastabalis — 6. suae liberorumque aetatis. — 7. obiectare periculis — magis magisque eum in dies ampl. — 8. fuere in exercitu nostro — regno Numidiae pot. — omnia Romae ven. esse. — 9. Senatui populoque Romano sit — huiuscemodi verba cum Iugurtha fertur habuisse. — 10. Parvum ego te, I. — egregia tua facta — gloria decorasti — nomen familiae nostrae — obtestorque te, ut hos, — si mali — 11. in unum convenere — etiam ante ignob. — traductus est — inter alias res ait — tribus his

16

proximis annis — 12. brevi conficit — uti iussi erant — 13. sub imperio Micipsae — magnis muneribus expl. — 14. Quae praecepta patris mei cum agitarem — sed ea si des. erant — bello Carthaginensi) — Heu me miserum — fuga versabitur? — hostes a latere — praedicantem audieram — an quisquam nostri m. — audio summa ope niti — Nunc neque vivere libet, n. m. l. s. dedecore. P. C. Oro vos per liberos atque p. — 15. a Numidis — facere nequivisset — praeterea Senatus magna pars — quod in tali re fieri solet. — 16. In divisione regni — agris virisque — 17. item ob solitudines — de his haud facile comp. — saevum et import. — coelo terraque penuria — 18. multis sibi imperium petentibus — emendi aut mutuandi — Getulos sibi miscuere — agros, alia; deinde alia — oblonga incurvis lateribus tecta — accesserunt Libyes — Numidiae nomine — possedere ea loca — Deinde utrique. — 19. Adrumetum — deinde Arae Philenon — Aethiopes esse, deinde loca e. — 20. certum esse ratus — 21. praelium non est inceptum — a moenibus prohibuit — foret. Iugurtha opp. — Senatus populique Rom. — ab armis discedere, ita seque illisque dignum esse — 22. brevi se missurum — Adherbalis appellandi copia non fuit. — 23. propter loci naturam — spem auxilii nullam — bellum non posse trahi — 24. cruciatus corporis deprecor — eripite, per vos, per maiestatem imp., per am. fid. — 25. uti interim consuleretur, quoniam legatis non paruisset — summa ope enisum est — amplis honoribus usi — simul et a Numidis obsecrati — deinde brevi Uticam — legati frustra discessere — 26. uti sese et oppidum — 27. agitari coepit — lenibant. At ni — Calpurnio Numidia — quae usui bello forent — 28. hisque, uti illis — ut omneis mortaleis pec. agg. — Italia excederet — ex senatus decreto — transvectae sunt — 29. et minister omnium — sese aliquid interim — Sextus quaestor — Deinde postero die — quasi per Satyram legem — cum parvo arg. — 30. et moras Senatus — eam dicam, quam — 31. (pag. 97.) obnoxii inimicis — regni reparatio, plebi sua iura rest. — (pag. 98.) servitutem toberabitis? — (pag. 99.) Aventinum montem occ. — ad remp. damna — Nisi forte dominationis eorum satietas nondum etiam vos tenet — (pag. 100.) tametsi virum flagitiosissimum — vos sceleratissimis hominibus — aeterna solicitudo — senatus auctoritas — (pag. 101.) impune quidlibet facere. — 32. C. Memmius — Cassius populi Romani perlata rogatione — 33. nisi

socios sceleris sui — per se inviolatum fore — 35. Albinus, qui prox. — quoniam e stirpe — illumque obtruncat. — 36. instanti cedere. — 37. quae coepto usui forent. — 38. pactionis pepulit — improviso cum multitudine — arma capere, alii sese abdere — Ea Numidae cuncti irrupere — mortis metu multabantur — 39. salutem quaesierat — ac demum periculum timens — populi iniussum nullum — nihil sibi agitandum — 40. Brachus Mamillus Lemetanus — Senatus — itemque qui de p. — Latini nominis — Sed plebs incredibile memoratu est — Mamilli — ut ipse in eo numero — Sed quaestione — plebis, ut saepe — 41. senatus factionum — quo ad semetipsam praecipitavit — 42. par est disserere. — 44. in statutis castris, nisi cum odor — Sed neque more militari vigiliae ded. — 45. edicto primo — 46. certior Romae factus — mappalibus — 47. Huic consul, — et si paterentur, opp. — impensius legatos — 48. humo arida atque arenosa — 49. propius montem — conspicitur — prox. hostibus erat — colle digredi — 50. ac dextera — non confertim, in unum, — 52. vesper aderat — neque interim remittit — 53. rel. omn. XL. numero — gaud. exortum est — ad coelum effert — 54. pro vict. satis pugnatum, — neque acie — praedam esse. — 55. ut in adverso loco — Sed igne magis — 56. ut moenia defendant — quod fallere neq. — ac paullo post — 58. occisi sunt — 59. deinde cedere — 60. astrictis repente — comminutae sunt, qui sup. afflicti: — 61. aut de suo loco pugnam f. — in provincia, quae — fore, uti illi — 62. Eorum et aliorum — armorum aliquantum — ipse secum reputaret. — 63. altus — bonas artes. — 64. pro honore, quem affectabat, contra M. — 65. Manastabalis — paullulum immutata — pacis spes impellit — plebs — 66. Deinde compositis — Turpilium Syllanum — et sine imperio — Idem plebs facit, pars edocti a nobilitate — 67. scuta erant, praes. host. — obtruncari — intactus profugit — nisi quod illi. — 68. e conspectu abiit — edocet, opp. — equ. in primo latere, p. qu. arct. pergere. — 69. praedae spes amplius — magna atq. opulenta — capite poenas — 70. profectus est, quem — testare — an Metelli virtute. — 71. adlatae sunt — audivit, et ex cons. — introivit — Deinde propere — Nabd. paullo post — ex servis cognovit — 72. atque aliis multis — 73. offensum sibi, parum — moderantur — vulgus agitare — sic est accensa — omnes, agrestesque — Sed paullo ante senatus — 74. perfu-

gerant — sine ministris — vagus incertusque — neque illi res ulla, neque cons. — in armis spem — certatum est — 75. ac naturam loci etiam — quam plurimum aquae quisque — ventum est, quod Numidis pr. — animis eorum addidit — 76. per otium ex opportunitate capi — Deinde locis ex copia — superque aggerem iacere, et super aggerem impositis turribus — corrupta. Hi postq.— adversas vident — 77. Missae sunt eo — 78. uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa — ventis coepit — retinebantur — 79. egregium atque memorabile — quae eos res — quibus nomen Philaenes erat — Graeci opinionem Carthaginiensibus faciunt, ut vel illi, quo fines p. s.— Philaenes — honores instituti. — 80. Et iam antea — filia Boccho — omnes viles. Igitur — 81. cum Boccho habere — 82. factum iam antea acc. — 83. al. rem suo periculo curare — habere tum magnam — non deponi, nisi cum victores velint — 84. plerosque militia — neque plebe militiam volente putabatur Marius — 85. pluris est universa respublica — Atqui ego scio — partem vidi, alia gessi — quemque generosissimum — quibus, uti mihi — labori et innocentiae — expetant, voluptatem et — mea facta mihi — ex animi sententia laedere — necesse est praedicet — discere, quae ad virtutem — labore illorum faciam — Namque cum tu per moll. — Haec atque alia maiores — seque remque publicam celebravere — Nam et ex parente meo — iocundiora — Nam ubi flugitiis se ded. — bonum habetote de Numidia an. — Egomet in agmine aut in praelio — me vosque in omn. — 86. cui neque sua chara — 87. praeda honustum — Omnia capta ibi in — Deinde castella. — 88. animis accipitur — Itaque Getulos et Iug. — patrandi copiam cognovit — saepe ad eum miserat nuncios — gravior accederet. — 89. Eius potiundi Marium — Cibus illis adversus f. atq. s.— 91. simul inopiam frumenti l.— Omnibus sarcinis abiectis — Deinde tertia — 92. regnum dividebat, erat — Nam cum hae paullo proc. — 93. prospere usus erat — more ingenii humani cupido difficilia faciendi animadvertit — paullulum modo prona, dein flexa — nixus — eodem regreditur — propere adiit, a. edocet — qua ipse ascenderat — periculique nihil esse docet — 94. paratis et compositis omnibus — qui centuriis praeerant — visusque per saxa — ponderis gratia, simul et offensa — vetustate radices — inermes mittere — dubia nicui videbantur, potissimum — deinde statim digrediens —

cognovit, quae Ligus egerat — servitium minitari — super occisorum corpora vadere — murum ascendere — 95. dum ea res agitur, — ex Latio et sociis cog. ex. — persecutus historiam — Literis Graecis ac Latinis iuxta atque doctissime erud. — 96. Quibus rebus — charissimus factus est — 97. accepit, dubium belli a. p. — ipsique Boccho pollicetur — Ita exercitu amborum coni. — parte diei reliqua — quod locorum scientes erant — in tenebris difficilem fore — Pars equos ascendere — equites peditesque perm. — 98. quam ex familiarissimis — edita et praecipiti — quod non fugere, ac pro victoribus agere. — 99. ac paullo ante — de improviso vectigales — simul omnes cauere — portis erumpere iubet. — 100. pariter atque in consp. h. — neque secus atque iter facere — excubitum in portis — labor volentibus esset — illoque aliisque temporibus — aiebant, quod a pueritia — nisi tamen resp. pariter. — 101. Ita Iugurtham spes fr. — ad pedites se convertit — dextra et sinistra omn. occ. — quos iam pelli acceperat — 102. concessum est — laetitia nobis est — errantem, et illum — melius visum est — nostra amicitia — offensae minimum, gr. — Amicorum nobis neque cuiquam hominum satis fuit — tibi a principio — profecto ea re ad hoc tempus — pati nequisse — Dein copia facta, animus — 103. omnes perfugas — ac deinde, si placeat, Romam ire iubet — Deinde a Getulis — pro praetore reliquerat — ut meriti erant — amicum rati sunt — nemo munificus putabatur — Deinde Sylla — 104. Cirtham rediit — illos et Syllam ad se Uticam ven. iubet — Belligenum praetorem, praeterea — quibus legatis potestas Romam eundi — pauci ferocius dec. — rerum humanarum — cum C. Octavio Rufone — 105. adversus tela host. — muniti erant. — 106. se toties fusum N. — quam perditis quos ducebat — morbo interiturae v. — coenatos esse in castris, ignesque. — 107. ab inermibus pedibus — adesset, castris abire iubet. — 108. consilia erat. Praeterea Dabar — nam mater eius ex concubina orta erat — fidum Romanis multis antea tempestatibus exp. — paratum sese facere quae vellet — Sed ego comperio. — 109. Postquam, sicuti voluerant — se illo die responsurum — sanctus vir iurat ex sententia amborum. — 110. Numquam ego ratus fore — et me hercule Sylla ante cognitum multis — minus flagitiosum. Caet. — Bellum populo Romano numquam paravi, neque factum volui. — 111. non in gratia habituros — Rex primum negare, affinita-

tem, e. — leniter ex voluntate — 112. et ei nunciat Iugurtham c. omn. — uti iussu Senatus aut populi Rom. — 113. ac bonae spei pleni esse — dicitur secum ipse multa agitavisse — occulta oris immutatione patefecisse.

Orat. Lepidi. (p. 189.) ne quae ipsi non aestimatis — in vitandis periculis magis — maximi nominis, non minus optimis m. e. — servitium suum merede dant — quam vita certasset — (p. 190) aut pudorem tyrannidis esse, eum per sc. — cogitandi inops — qui praemia turbarum quaero, et bellum cupiens, quia iura p. r. — nisi approbaveritis. — (p. 191.) quam raptum iri licet — bonorum omnium de honestamentum. — (192.) quod populo Romano fuit

Orat. Philippi. (p. 193.) ea a bonis et sap. — Quid ille ob bene facta c. — At scilicet eis, qui — gratiam habeo peperisse — (p. 194.) Attamen erat Lepidus — quorum nemo diurna mercede — Quod vos oro atque obs. — ad integros procedere — (p. 195.) concordiae gratia tribunitiam potestatem rest. — neque deorum pudeat — ut quam maturissime — (p. 196.) bellum suadent — et bella magis placent.

Epist. Pompeii. (p. 197.) toties — quoties. — (p. 198.) Lacetaniam indigetis — flumen Durium — proque his o grati p. — ad internitionem — transgredientur.

Or. Macri. (p. 199.) quid inter ius — disserendum fuisset — et quoties — (p. 200.) nisi quia vosmetipsi — ad vos plerique. Raris enim an. — cetera validiorum sunt — quamquam L. Cincius. — (p. 201.) quamvis Quir. in vobis sit, et quae — (p. 202.) non arma neque secessionem tantummodo, sed nec amplius sanguinem v. pr. censebo — periculum et labor — quum tamen quinis modiis — hi profecto non amplius possunt alimentis carere: namque utilis exiguitate mors prohibetur: sen. v., sic ut neque absolvi cura fam. t. p. res possit. At et ignavissumi quique tenuissima spe frustrantur — pretium ostentarent — (p. 203.) quia neque gloria movemini — et huc ire licet atque illuc — sed ceduntur inter potentium inim.

Epist. Mithridatis. (p. 205.) ac mox a Philippo — pacis mercede posthabita: custodi agri captivi sumptibus et cont. — quem regem appellaverat — quae accidere testatum antea. Cretenses soli omnium liberi ea t., et rex Ptolemaeus. — (p. 206.) armis abstinuerunt — ob ipsorum inter ea mala — apud Parum et — Gaberam. — (p. 207.) meis militibus procul ab domo —

quando neque vincere — neque quidquam a principio nisi parvum habere — omniaque et maxime regna — fortuna autem nostris vit — Atque illa fama sequetur — pernicie nostra tuum imperium prolatare.

Orat. Cottae. (p. 209.) qui victus cum illa simul — patriam, Deos penates — iure naturae sunt — et Sertorii per montes neque fuga neque manu certare possunt — plena hostibus est — eu C. Cotta.

---

## INGOLSTADIENSIS EDIT.

(cui titulus: Historiae C. Crispi Sallustii de L. Sergii Catilinae coniuratione, ac bello Iugurthino. Cum gratia et privilegio Caesareae Maiest. Ingolstadii, ex typographeo Adami Sartorii. Anno M.DC.VII.) a nostra diversitas:

Cat. 1. Omneis — transeant — omnis nostra — cum belluis comm. est — rectius esse videtur — Nam et divitiarum et f. gl. — clara et aeterna h. — inter mortales magnum — opus facto est — 2. tum demum — ab initio paratum est — indocti atque inculti — atque anima frui — 3. pace vel bello — ab reliquis malis m. — 4. servilibusve off. — 5. iuventutem exercuit — cuiuslibet rei — ardens cupiditatibus — immoderata, intolerabilia, incr. — indies nimis ferox — et pessima ac fl. — 6. habuere initio — satis pollens — dominationemque se convertit. — 7. libid. habebat — labor — faceret facinus — 8 existimo — quantum eam verbis — At populus Romanus — 9. discordias, iras, sim. — In pace vero quod — et acceptam iniuriam ign. — 10. divitiaeque opt. — artes bonas — docuit. Et ambitio — Post, ubi contagio — immutata est — factum est — 11. propius virtuti erat — bonus et ignavus — nititur via — studium habuit — in civeis fac. f. — Huc accedit quod — voluptuaria — ea privatim et publ. — sapientum — 12. nihil pensi nihil mod. habuere — qu. fort. viri victores reliquerant: perinde qu. — commemorem — constrata esse — abuti per turpid. — stupri, ganei caet. — muliebria pati — operiri — 14. In tanta tamque — flagitiorum atque facinorum — manu, ventre, pene bona — ad haec — lingua aut peri. — efficiebatur ceteris — haud diff. patiebantur. — 15. id est, cum sac. Vestae, et alia — excitam fatigabat — Igitur color eius c. — 16. petendi — 17. hortari alios, t. — Antronius — Cn. Cethegus — Pub. Servius — Cn. Cornelius — et cuiusvis opes

voluisse — apud eos principem se fore. — 18. de quo qu. verissime — Antronius — Consulatum petere — Antronius — consilio communicato — transtulerunt — Quid in Cat. mat. — 19. boni complures — et iam tunc pot. Cn. P. — multa ante perp. — 20. tametsi multa cum singulis — opportuna res accidisset — dominatioque — frustra fuissent — esse intellexi — consenuere — res ipsa expediet — ingenium est — vetera negligunt, nova diruunt — divitias suas — ni forte me an. fallit — 21. in quibus mala ab. omn. erant — tamen postulavere plerique tabulas notas, proscriptionem locupletum — alia omnia, qu. b. a. libido victorum poscit — Consulatum praeterea petere — hominem et ei familiarem — necessitatibus — cum eo se consule — nominatim laudare — 22. addiceret — in patera circumtulisse — atque eo dictam rem fecisse — 23. quem Censores — quam audacia inerat — coepit, minari — nisi sibi — quae, et quo modo — 25. Graecis et Latinis — psallere et saltare — quae instr. sunt luxuriae — chariora semper omnia — multae facetiae, sales, multusque lepos illi inerat. — 26. Antronio ex voluntate — clientum — neque petitiones neque insidiae, quas consuli fecerat. — 27. C. Manlius — neque insomniis — Manlium praemisisse — 28. Cn. Cornelius — Qu. Curius — impendebat — quod Syllae in domin. — 29. negotio fieri solet — uti darent operam — *nullius* earum rerum — 30. L. Servius senator — dicebat, in quibus — arma parari — Senatus decreto — indicasset — praemium decreverunt — sestertiorum ducenta millia — 31. quibus pro reip. magnitudine — rogitare deos — delitiis amissis — aut sui expurgandi, sicubi iurg. — sive ira commotus — ad simulanda — postulare a patribus coepit — ita se ab ad. — ne existimarent — plurima beneficia pleb. Rom. essent — 32. Deinde se — 33. fama atque fortuna — Saepe maiores nostri — arg. communi aere solutum est — necessitatem — quonam maxime ulti s. n. p. — 34. si quid abs Senatu — populi Rom. semper — neve qua ex sua cont. — 35. Non quia aes — solvere non possem — honore honestatos — 36. in agro Rheatino — sine fraude liceret — uti Consules cautam electionem exercitus habeant, C. Antonius Catilinam cum exercitu persequi maturet — 37. in turba atque sed. — aliarum, atque Senatus part. — 38. deinde largiendo — potenteisque — nob. senatus specie pro — post illa tempora — populi iura — 39. In his erat F. — iussit parens necari — Roma — 40. propterea quod natura — nihil auxilii — Brutus Roma ab. — aperit: socios

praeterea multos cui. generis nominat innoxios — 41. rem omnem ut cognoverant — legatis praecepit — 42. iam in agro Piceno, Brutio, in Apulia — ex Senatus consulto cognita causa — in citeriore Gallia — 43. imperium in curiam facturum — 44. aliter eos haud facile — Cassius eo semet — te esse virum — etiam ab infirmis — 45. Promptitio — deprendant — permittit illis homines militares — venerunt, et simul — deinde ubi — Promptitium — itemque quendam Geparium — et ipse manu tenens — 47. fingere alia omnia — socium accitum — Antronium — Igitur praelectis literis — 48. nimis bello fav. — Nam alia belli fac. — aliique de coniuratione d. — reficeret, illi facilius — Senatus decrevit — nisi de eo iudicaret — Antronio — 49. Cn. Piso — neque pretio neque gratia — aut per alium iudicem — cum illo graves inimicitias exercebat — ipsi sigillatim — usque eo, ut — animi mobilitate — 50. electos et exercitatos orabat in audaciam — convocatoque senatu — Tunc D. Iul. Syllanus — quod de re — rogatus a consule sententiam. — 51 atque usui — eo dominatur — atque populi — infida et adversa — dimiserunt — Carthaginenses — nunquam per occasionem — Hoc idem — apud vos valeat — fapa atq. domos spoliari — res tanta et tam — accenderet — multi etiam eas — Sed alia aliis — paullo saevior fuit — De timore vero — tuta sint praesidia in armis — de poena possum — in sententia non add. — An aliae leges — sed in exilium permitti i. — Quid autem acerbum — tanti facinoris, quos iudicasti convictos — Damasippum, et alios huiuscemodi qui erant iugulati: quis — paullo post ipsi traheb. — Atque ego hoc non — per Senatus decretum gladium consul ed. — alia huiusmodi fieri coepere — ipsos in vinculis per municipia habendos — Qui aliter fecerit, censeo Sen. ex. — 52. finem facit — adsentiebatur — Nam cetera malefacta tum p. — imploras — Quod mihi atque an. m. — condonabant — opulenta — sed haec cuiuscunquemodi vid. — Ne illis sanguinem — aut ibi non plus possit — opes minores sint — si exercitum ex illis metuit: si in tanto — nobis quam illis est — nullum discrimen est — pecuniae et gratiae servitis — armatos illos dimittatis — in miseriam vertet — mulieribus — omnia prospere cedunt — nisi alterum iam patriae bellum — Gepario loquor — in civitatis faucibus urget — potest occulte — Quare ego ita censeo — supplic. esse sumendum — 53. clarus atque magnus

ii. — Sciebam saepenumero populum Romanum parva m. — ante Romanos fuisse — paucorum civium egregiam virt. cuncta patravisse constabat — Sed memoria nostra — 54. ab munif. — negotiis suis intendere — quod bono dignum esset — bellum novum exoptabat — et decoris, et maxime — Itaque quo minus gloriam appetebat, eo magis illam adsequebatur — 55. optimum factu — ipse praesidiis dispositis, Lent. — idem fit ceteris — ubi paull. ascenderis — exitum vitae — Statilio, Fabinio — 56. ad Galliam versus — sese habiturum — Int. repudiabat servitia quorum — cum fugitivis servis — 57. nuncius in castra — Romae coniuratione patefacta, de Lentulo et C. — occulte praefugerent — optimum facturus — 58. aggrediamini — Licuit vobis — al. opes spectare — bellum pace mutavit — ab hostibus averteris — maximum periculum est iis — 59. rupes aspera — lectos et evocatos — ipse Catilina cum libertis — quam in bello Cimbrico — Ille cohortes veteranas, quas tumultus causa c. — 60. cum infestis signis utrimque conc. — accersere — ex lateribus ceteros aggreditur — Postquam Catilina fusas copias — 61. quantaque animi vis — vivus pugnando l. c. — paullo diversius, sed omnes — paullulum etiam adhuc spirans — quam vivus habuerat.

IUGURTH. 1. Nam contra repugnando — quippe quae — ceterasque a. b. — nat. inf. accusatum suam qu. — periculosa appetunt — 2. dediti corporis — atque ignaviam — sint artes — 3. capienda videntur — ius — 4. aetatem agere — et quibus ego — adeptus sim — mutasse — qui non divitiis — perinde quasi — 5. deinde quia — omnia illustria, magis in aperto sint — Carthaginensium — cui postea Africano cognomen — Carthaginensibus — Manastabale — Manastabalis — dereliquerat — 6. exacta aetate sua — suae liberorumque aet. — 7. periculis obiectare — adferre plerumque solet — magis magisque eum indies — Huc accedit munif. animi, ingenii sol. — 8. nisi Micipsa — imperio N. — domum reverti — non aliquibus — suam pecuniam et ipsum praec. casurum — 9. tibi certo scio — charus — huiuscemodi verba cum Iugurtha fertur habuisse — 10. Parvum ego te I. — tua facta om. — honorasti — familiae nostrae renovasti — finem vitae fecit — obtestorque te — fide pariuntur — vobis regnum — colite observate — 11. convenere — Dein tamen — partem alterum — inter alias res ait — animo voluisse — tribus his pr. annis adoptione — 12. constituti — Sed Hiempsal in oppida. Thirmida forte domo eius uteb. — acceptusque semper fuerat —

suam visens domum eat — c. m. manu venturum — conficit — sese tugurio — profugerat — uti iussi erant — 13. tametsi legatos Romam miserat — ac dein Romam — cum auro argentoque multo — uti primum — legati Romam — auctoritas in senatu — ne quid gravius — 14. Quae praecepta patris mei cum — Iug. homo omnium — mihi deberi — sed ea si — cogor potius oneri — me nepotem Masinissae — tamen erat maiestatis Pop. Rom. — capere nequit — Quod in nostra familia fuit — Quid agam? aut quo — neque coleremus — una nobis occid. esse — magni et opulenti estis — summa ope niti — ne quid se absente — quae me premunt miserias — praecipitatus ex patrio regno — ex opibus pendet alienis — 15. Adherbalem vero ultro — facere nequisset — magna Senatus pars — aequum et bonum div. c. e. — 16. quia Consul — recepit, dando et pollicendo — 17. calorem et asperitatem, item solitudinem — de his haud f. — in parte tertia — mare saevum et impetuosum — arbori infecundus — coelo terraque — haud quemquam saepe superat — plurima mal. generis an. — Africam initio — 18. neque lege, neque imperio — qua nox c. — multis victi imperium — alia deinde atque al. l. petierant, semetipsos — Medi autem et Arm. ad Libyes accessere — haud procul ab arboribus — ac postea Numidae propter — possedere — Deinde utrique alterius freti — minus bellicosi quam Getuli — 19. et alii novarum r. avidi — prima civitas Cyr. est — sub Iugurtha erat — dictum est. — 20. sese adeptum videt: certum esse ratus — Ipse acer et bellicosus — dolore permotum adherbalem — suas mane vindicaturum — parem in armis exist. — 21. aut armis retinendum esset — non inceptum est — a moenibus prohibuit — Senatus populique R. — armis discedere: ita seque illisque dignum esse — 22. Sed de his rumor — Senatus esse: et ab adolescentia ita se en. — appell. copia. — 23 fortunas suas. — 24. dehortatur me fort. mea: quia — vestrum regnum — ut evadam deprecor — 25. qu. legatis non paruisset — devictum est — consularis homo et tum in sen. potens — triduo navium asc. deinde — pollere audiverat — diversis agitab. — rapiebatur — Senatus verbis minae graves — 27. facti laniabant. At ni — protelandis consult. — Calphurnio Num. — 28. hisque uti illis — placetne legatos l. r. m. nec ne — nisi regnum — uti diebus pr. — ex senatus decr. — 29. socius et minister — aliquid sese interim — Postea vero quam Iugurtha part. — statuit cum eisdem omn. p. — a Consule Sextus quaestor —

eum non parvo arg. p. — ad magistratum rogandum — 30. et moras Senatus — monere pop. Rom. ne remp. — ex tam multis Orationibus eius praescribere. — 31. vestra potentia — quamque multi — ob ignaviam, atque socordiam — qui ne nunc timetis eos — ipsi factiosi more — Utriusque non lex — regni reparatio — ulcisci nequit — iniusta dominorum imperia — Quir. imperio nati — pessimo facit — Quodsi tam vos — summa ope niti decet — Quid igitur? censes — neque vi censeo — si deditus est — si ea contemnit — qualis illa pars aut deditio sit — et in remp. — Nisi forte nondum etiam vos — vos autem, hoc est pop. Rom., ab hostibus invicti — Atque ego tametsi flag. ex. — quantum infortunitatis h. — eripiatur — alterna — sae. vestr. veluti hostibus pro sociis ut — proditum imperium vestrum: domi militiaeque — ut iam malitis cives nostros perperam — bonos omnes perditum eatis — praestabat — At hoc si ini. — 32. C. Memmius pop. Rom. pers. — elephantos suos I. — At Cassius pop. Rom. perlata — dedisset — 33. decus Regni — digni, quam irae magis c. — tamen manifesta — et in clem. — suasque spes — 34. discedit — 35. is, qui prox. — movere, qu. sen. — praesidii esset — paucis post diebus — It. saepe discedere — 36. pollicitari — instanti cedere — 37. aut terrore excitus ab r. — itin. per loca hyeme asp. — circum murum s. — 38. relictos Suthulae — exercitum tentare — capere, alii sese abdere —, omnib. loc. vis m. hostium, — corr. supra diximus — coh. una Liturgium — nox atque castrorum praeda — clausum teneret — m. metu minitabantur — 39. pars insolito rerum bellicarum timore — ac demum peric, tim. — nihil agitandum — 40. Bracchus Mamillus — promulgavit — itemque, qui — M. Aemilius Sc. — plebis, suorum fugam — Mamilli — quaestores — Sed quaestione — 41. Senatusfactionum — res secundae — populus libertatem — dilacerata est — semet ipsam pr. — 42. C. Bebium — cupidae victoriae — singulatim — 43. fugam foedam — partiti erant — Is ubi magistratum primum — et reges ultra auxilia mittere — Itaque ex voto et sententia omn. r. p. — 44. pericli — spei bonae accedit — et quanquam — qu, t, comitiorum aestiv. — in statutis cast. — odor — Sed neque more militari vig. deducebantur — praedas certatim agere — 45. comperio — moderatam — Namque suo edicto — sustulisse dicitur — neve in agmine — cibum coctum — neve agmine — arcte — iuxta ac sibi h. ad. —

circumire — ne quisquam ordine — 46. certior Romae f. — postquam omnes oportunos — si id parum pr. — nunciari — Regis praefecti — permisti — 47. et si pat. oportunitates loci — uti priores Consul — 48. suis artibus se — urbs maxime al. — in divisione orbis poss. — fl. oriens a Meridie — aberat mons — ac myrteis — humo arida atq. arenosa — 49. quid ageret — propius montem — delectis collocat — monte digrediens, cum ex. conspicitur — prox. hostibus erat — cohortatus — 50. quasi praesidio — Dein, — pars sinistra — adesse: instare, atque o. — conferendi — neque in unum — Ita priores numero — circumveniebat — quam campus fuerat — 51. sors omn. r. — adversus — orare, hortari m. — Sed ne Iug. qu. — circuire — 52. dispares — Deinde — pluresque velocitas — re cognita — 53. collis et noctis — numero XL. — fessi lassique e. — velut h. adventare — imprudentia admissum — exortum est — ad coelum effert — detractant. — 54. ubique cogebat — quod praeter equitatus regios — neque acie — praedam esse — quippe cuius sp. o. — 55. praeclara fama esse — eniti, omnibus festinare — fontem, quorum magna pen. — 56. ac paullo post cogn. — Romanis porta — caussam dare — Numidae ferunt — 57. Marius Zamam perv. — exoritur — 58. depelli nequiverunt — esse populares — 59. in congr. fecissent. — 60. maxima vi cert. — in alia magis, quam in se — semetipsos — movere alii — levius agere — lapidesque et ign., alia praeterea — dein ubi — vulneribus confecti ab. — 91. aut de suo loco — quae ab se def. — in provincia — clam de Massivae nece i. f. — aut vivum aut n. — ipse per conventiones — 62. sibi liberaeque genti — captos mortales — accersi iub. — concilium — concilii — dum ipse ad imperatorem — 63. altus — egregius factus — 64. mirari primum — in contubernio — tum pro honore — consulto bellum trahi — corruperat — 65. Manast. — moribus confectis — nobilitate perculsa per l. Maniliam. — 66. ostendendo — Syllanum — pars educti a nob. — 67. erant: praesidium — intactus profugit — quod illi — 68. Dein ubi ira — iniuriam — edocet opp. V. — in primo latere — 69. laetari — cuncta poenae — capite poenas s. — civis ex Collatia — 70. seorsum ab rege ex. duct. — inventae sunt — parare — in hyberna — multis hostibus — in pestem suam — 71. cura cum, deinde — Numida negotiorum curator — et ex consue-

tud. r. — et dormiente illo — dein, nisi diis cognitis — ex perfugis cogn. — conatus est — 72. quos insidiarum socios cogn. — contra regium decus — 73. parum sibi id. r. — alteri generis hum. — bona aut mala sua moderata sunt — sic est accensa — in manibus erant — Lucio Manl. Mantino — 74. formidine perculsi — res ulla — ac paullo post in armis spem h. — N. pro tempore ab Iug. p. instructique sunt — pulsi: fugati. — et al. host. paucorum potiti — Nam ferme in omnibus pr. Numidis magis pedes, qu. a. curata sunt. — 75. modo impensius — quinquaginta millia — naturam loci — aliaque — vis aquae missa — immortalibus diis — 76. infectum Metello — tela, equos, l. — in illo loco — duobus locis — corrupta. — aurum atque arg. — quae prima ducunt — eas ipsas. — 77. legati oppidi L. — impetrata fuere — 78. inditum est — alta alia in tempestate vad. — nom. sunt. — 79. Philones — iter peragere — mari, viatores retinere — Cyrenenses optionem Carthaginiensibus — honores instituti. — 80. quo Bocchus — incepto bello — quod singuli — 81. urbe precium f. — aut si dux Romanus — 82. quoniam his novus — bonum aut honestem — 83. habere tum magnam oportunitatem, copiam soc. — et quamquam — non deponi nisi — copia foret — Ille probare partim abnuere. — 84. postquam in prov — dictare — primo habere — accersere — militia — neque plebe militiam volente put. M. aut b. u. — frustra asperata — 85. dein — pluris est un. — cum maximo vestro ben. — et factiosos — reliqua vetus nobilitas — aequos bonos favere — in remp. praecedunt — invadendi me quaerere locum, — et pericula — vestro beneficio grat. — accepta mei caede — Illos diff. est — in naturam venit — off. sui monitorem — is imperatorem al. qu. — quia postquam — et acta maiorum ac Graec. — Nam legere quam fieri — eorum partem vidi — militando didici — ita hoc petunt — neque bona neque mala eorum — iniqui sunt — melius est quam acceptam corrupisse — E. non ignoro ego, si eam m. r. v. — nulla oratio laedere — falsa — quod mihi summum hon. — meis plurimis — Parvi id facio — nec opulentiam — sed quasi deditas a v. r. — procul erant — Ea solo — neque coquum quam villicum plur. prec. h. — mulieribus munditias — omnibusque oportere — quod iuvat illos — relinquant vobis — Verum ita non est — Nam ubi se omnibus fl. — qui eas coluere — mei mores — pauca de repub. —

de Num. bonum habetote — capescite — ex calamitate maiorum — in agmine atque in pr. — ignavia nemo — 86. quod ex eo genere — opportuniss. erat: cui n. s. chara — Igitur Marius cum aliq. — 87. cohortibus aux. — deinde cast. — fortunissimum quemque — 88. discesserat — Sed et Marius — quid utrinque boni — aggressus itinere — gloriosa facta sunt — patr. copiam cognovit — ad eum saepe — accederet, an mobilitate ingenii, parum exploratum est. Nam pacem atque bellum mutare solitus erat. — 89. abesse procul — validum, nomine C. — Nam praeter oppida propinqua, loca alia o. — quod ad Thalam — Cibus illis adv. — 90. in loco munita — tamen pro ea copia satis provide exornat — equitatibus aux. — 91. magna vis virium — o. sarcinis abiectis — Dein postquam visum, — locum tumultuosum — duûm millium intervalli: — cogere, uti — contra belli non a. — 92. maior et clarior — Milites in modesto — magis quam ullum mortalem — regnum dividebat — velut opera atque consulto praeceps erat: — Nam castella v. a. arm. s. m. vis: et fr., et — erat locus imp. — iter castellorum — Nam cum hae paullo — 93. cupido difficilia faciundi animum vertit — planiciem praescribit — eodem regreditur — qua ipse descenderat — itineris periculique ducem — Consulis animus tamen p. a. est — quinque millium — diem proximum — 94. visum est — facilior foret — Ligus — inermes — dubia nisui — potissimus — a. descendensque, deinde — magna utrinque vi — praecesserant — murum ascendere — Sic forte correpta M. — 95. et sociis — persecutus historiam — patriciae nobilis fuit — ac latinis iuxta, atque d. — voluptas eum nunquam — 96. ut supra — et militibus — 97. dubiumque — ipsique Boccho poll. — cum magna multitudine Iugurthae exercitu coniuncto, Marium — vix decima die parte rel. — quod locorum — ascendere, obviam ire — peditesque — si quis locus — 98. quantum imperare — edita et praecipiti — effusi concedere — aut non fugere, aut pro vict. sese agere. — 99. nec signa quidem — ac paullo a. — vectigabiles, item — erumpere iubet — et nullo subv. — terrore, formidine — interempti sunt. — 100. et primos et extr. — tribunos locaverat — perfugae Numidae, minime chari et r. — laudare et increp. — neque secus atque iter facere — in portis coh. — in munimentis super vallum — ipse vigilias — futurorum — aliisque temp. — aiebant: quod a puerit. — et ta-

men respub. pariter — 101. adversus omnia — frustrata est — aeque alios — invadit — agitabat — paullo ante — Mauris ab latere — dextra et sin. — auxilio suis accurrit — et interea — 102. a Mario pet. — uti ingenium aut aversum — conc. est, pauca huiuscemodi verba locutus est — et te err. — inopi — visum est — minimum, gratia — parentis abunde — cuiquam hominum — multa plura b. — perpessus esses — placuit et vim — Multa atque opp. — demitte — Nam in bello — nequisse — facta mittendi. — 103. Deinde a latronibus Gaetulis in itinere — pro praetore reliquerat — rati sunt — magn. sui regis — 104. certior factus est — Belligenum pr. ab Ut. — quibus legatis p. e. R. fit — pauci ferocius — C. Octavio Rufone, qui quaestor st. in Afr. portaverat — gratiam faciet, et foedus — 105. Isque est missus — praeterea iere sag. — muniti erant — vicerant, pugnaturis. — 106. Deinde per eum — noctu secum clam — Numidam fusum — ut noctu proficisceretur — in castris, ignesque — 107. nec quemquam decere — ab inermibus — crederent illum nihil palam ausurum — optimum factu vid. — sese praemissis — s. iturum cum Sylla — probata est — 108. Bocchi consilia ierat — nam mater ei. e. c. orta erat — fidum esse Romanis — nam ab insidiis vique aliter caveri nequivisse — comperio — 109. caetera occulte, nullo aut — simul edocens — sicut voluerat Bocchus, congr. sunt, dicit se Sylla m. — Syllam redire iubet — sed illo responsurum die — sancte iurat ex sent. amborum — 110. ratus sum, fore — indigus — imminutum — Fuerit mihi eguisse aliquando pretium amicitiae tuae — experiri libet — gratiam redditam — transgrediar, neque id intr. — 111. non ingratum habituros — Rex primum negare affinitatem, cognationem — invisi essent — lenitur — 112. Ac rex — bellum poni — in c. Iugurthae proficiscitur — operam daret — ibique Syllam sibi tr. — in potestate — senatus aut pop. Rom. — 113. au verò cunctatus — adversae sunt — uti in colloquium de pace conveniretur — ac bonae spei pl. e. — ipse multa agitavisse — occulta oris immutatio patefecit — obvius quasi honoris causa, pr. — facill. visum insidiantibus — Ceteris obtruncatis. — 114. contremuit.

# INDEX.

## ERRATA.

Pag. 23. lin. 15. lege: Porcium. Pag. 141. l, 23. socios. Pag. 206. l. 16. pulch. Pag. 21. l. inf. sufficere. P. 25. l. 9. ab inf. magnitudinem. P. 65. l. 29. per fraudem honorem nactus. P. 106. l. 31. offerret. P. 127. l. 30. fraudulenter. P. 137. l. 29. perpetrandam. P. 139. l. 9. ab inf. Sabina. P. 167. lin. inf. corpora. P. 188. l. 2. ab inf. quemadmodum. P. 208. l. 8. ab inf. quo recte decreta perf. P. 211. l. 25. usus adv. scil. P. 219. l. 19. qui primus plenius coll. P. 221. l. 6. ab inf. faceret. P. 236. l. 6. ab inf. Nobb. Tusculanum. P. 227. l. inf. cecinerat. P. 15. l. 4. quos. l. 5. aut.

